Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-146554035-10/fragment/page=2

TM 1375

Theodor Mahlmann
25. 7. 1998

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-146554035-10/fragment/page=3

Opuscula

exegetica, critica, dogmatica

ſcripſit,

recognouit, variisque additamentis

locupletauit

Henricus Auguſtus Schott,

Theologiae Doctor et Profeſſor Ordinarius Academiae Ienenſis.

Tomus primus.

Ienae,

ſumtibus Croekerianis.

MDCCCXVII.

GASS

Praefatio.

Libelli minores, qui haud raro, modo hac modo illa ſcribendi opportunitate oblata, a doctoribus potiſſimum ſcholarum et Academiarum, efflagitante ritu quodam et conſuetudine a maioribus ſapienter inſtituta, in lucem eduntur, vulgo eam ſortem experiuntur, vt paucis tantum innoteſcant, neque in ephemeridibus, quae ita vocantur, litterariis (exceptis Lipſienſibus, quae hac in re diligentiam adhibent ſingularem laudibus digniſſimam) indicari et examinari ſoleant. Quouis igitur tempore probandum duxi conſilium eorum, qui eiusmodi commentationes, quibus ſingula huius

illiusue disciplinae capita, grauitate haud destituta, omni, qua fieri potuit, diligentia tractauerant, colligendas, et vno pluribusue fasciculis iterum edendas curauerunt. Neque ipse mihi arrogantiae crimen incurrere videor, exempla aliorum imitando. Etsi enim probe teneam, non deesse, nec defuturos esse Theologos, qui easdem quaestiones, in quibus tractandis operam meam collocauerim, maiori illustrare possint et ingenii sagacitate, et eruditionis copia; bona tamen fide testari possum, neque eo tempore, quo his libellis (opportunitate varia oblata) primum edendis operam nauarem, neque, quum eos denuo perlustrarem, emendarem, additamentis variis augerem, assiduitatem mihi defuisse, atque ingenuum veritatis cognoscendae et illustrandae studium. Diligenter enim hos libellos, antiquiores potissimum, ante plures annos in lucem editos, censui retractandos, et elocutionis perficiendae, et ipsius ar-

gumenti, vbi natura rei atque veritas exigere videretur, vel aliter tractandi, vel explicatius proponendi gratia, ita vt meam ipsius persuasionem iterum iterumque examini subiicerem, ratione habita eorum, quae vel in aliis libris de hoc vel illo argumento recentius scriptis, vel in diariis quibusdam theologicis scriptionem meam diiudicantibus, erudite ac subtiliter obseruata deprehendissem. Quodsi haec opuscula mea nonnullos certe fructus tulerint ecclesiae Christianae (cuius salute, puritate, dignitate Theologo vero nihil debet prius esse et antiquius) salutares, id omnino non mihi tribuendum iudicabo, sed gratiae diuinae, quae proposito meo beneuole annuerit.

Ceterum hic primus Fasciculus *quinque* exhibet commentationes, quarum prima, tertia, et quarta additamentis praecipue amplis, sectionibusque nouis auctae sunt, quanquam in ceteris quoque varia im-

mutaui nouasque obseruationes addidi. Fasciculo *secundo*, mensibus paucis elapsis proditurо, reliquas *septem* commentationes theologicas, hucusque editas, iam recognitas, complectar, addamque indicem, partim locorum scripturae sacrae, quae vtroque fasciculo vel copiosius vel breuius pertractata sunt, partim vocum singularum atque phrasium, de quibus subinde disserui.

Dedi Ienae d. XXVI. Aprilis MDCCCXVII.

Tabula commentationum, quae Tomo primo continentur.

I. De loco euangelii Ioannis c. 1. v. 9 — v. 14. p. 1 — p. 54.

II. De aliis quibusdam locis euangelii Ioannei c. 7. c. 8. c. 13. obuiis p. 55 — p. 110.

III. De consilio, quo Iesus miracula ediderit, ex iis Christi effatis, quae hac in re praecipua sunt, recte cognoscendo. p. 111 — p. 222.

IV. Eiusdem argumenti continuatio. p. 223 — p. 312.

V. In veram Apostoli Pauli sententiam de communi moriendi necessitate ex Adami peccato oriunda e loco epistolae ad Romanos c. 5. v. 12. 13. 14. recte eruendam inquiritur. p. 313 — p. 358.

Commentatio Prima.

De loco euangelii Ioannis c. 1. v. 9—14.*)

*) Auctoritate et nomine Collegii, quod Lipsiae S. V. Keilio praeside floret, Philobiblici Viris meritissimis, Plurimum Reuer. Goldhornio, hoc tempore Archidiacono Lipsiensi, et Langio, Pastori apud Limbacenses, munera ecclesiastica gratulaturus, commentationem de hoc loco Lipsiae a. MDCCCV. ediderам.

Quemadmodum inde ab eo tempore, quo legendo tractandoque Ioannis euangelio praecipuam coepi operam nauare, idem mihi accidit, quod diuinorum librorum lectoribus et interpretibus haud paucis accidisse nouimus, vt singulari eiusdem caperer amore; ita non dubitaui, quin ipsum illius prooemium iure meritoque iis N. T. locis accensendum putarem, quae, velut sidera maiora eademque pulcherrima, stellas inter minores emineant eluceantque. Cuius quidem rei causam primariam pariter in ipsa sententiarum copia et grauitate, atque in omni elocutionis sublimitate simplicitati iuncta versari, neminem facile negaturum exstimo, qui, remotus ab omni partium studio, ad lectionem prooemii accesserit. Videmus quippe, scriptorem nostrum in eo versari, vt ostendat, naturam illam coelestem, ipsi Deo summo coniunctissimam, cuius ope ac interuentu tota rerum vniuersitas olim fuerit condita, corpore humano indutam nuper in terram prodiisse, eo quidem consilio, vt omnium hominum, beneficia iis oblata haud spernentium, verissimam promoueret salutem,

dum iis summam conciliaret filiorum Dei dignitatem. Quae sententiae singulae per se spectatae quo aptiores sunt animis altius tollendis, eo minus cuiquam poterit mirum videri, quod Ioannes in his tractandis atque enunciandis singulari sermonis sublimitate vsus fuerit, eaque non ex arte et studio profecta, sed per ipsam sententiarum copiam et indolem adducta. Quam ad rem probandam facili negotio liceret (si modo temporis consiliique rationes permitterent) accuratius disputando persequi luculentissima sublimitatis simplicitati iunctae vestigia, in sententiis vniuerse enunciatis, quae, si rem ipsam spectaueris, limitibus circumscribi debeant angustioribus, in vsu metaphorarum imaginumque, in gradationibus frequenter adhibitis, initiis commatum praefractis, singulorumque orationis membrorum aliqua concinnitate, ad rhythmum propius accedente, deprehendenda. Proinde, quum consilium cepissem, oblata scribendi opportunitate laeta pariter ac honorifica, in explicanda quadam huius prooemii parte vires ingenii experiundi, prae ceteris hanc mihi legem scribendam putaui, vt diligenter cauerem, ne, accuratius et subtilius explicando ac definiendo, quae in huiusmodi sermonis genere per ipsam eius indolem nequeant accuratius constitui, limites iustos excederem; persuasissimus quippe, nimium illud singula effata singulasque phrases vel ad facta et euenta (quae scriptorem ante oculos habuisse putemus), vel ad dogmata theologica, et recentiorum Philo-

sophorum placita (quorum imaginem in ipsis N. T. libris adumbratam intueri cupiamus) referendi et reuocandi studium haud raro eo valere, vt partim ea, quae scriptor illo tempore ac loco vix ac ne vix quidem cogitando complecti potuerit, eidem obtrudamus, partim omnem loci vim grauitatemque infringamus.

In promtu est, totius prooemii Ioannei tres potissimum partes recte constitui. Quarum prima quidem (a v. 1. vsque ad 6.) in eo versatur, vt diuina Christi natura, et praeexistentia, itemque prouincia totius rerum vniuersitatis creandae olim, Deo volente, eidem tributa non tam demonstretur, quam illustretur ac praedicetur, transferendo hanc ad rem dogmate Iudaeorum Alexandrinorum ad Λογου[1]) pertinente, atque illa, quae in primo exstat eoque nobilissimo Geneseos documento (c. 1.),

1) Quum neque ipsius consilii propositi rationes, neque spatii limites angustiores, quos mihi scriptos video, permittant, vt varias Theologorum atque interpretum de Λογῳ sententias disputando persequamur atque examinemus; paucis liceat hoc profiteri, me ex animo iis adsentiri Theologis, qui indiuiduum singulare, Deo coniunctissimum, ab eodem tamen distinguendum, cuius ope tota conderetur rerum vniuersitas, sub Λογῳ intelligant, atque existiment, Ioannem phrases quasdam Iudaeorum Alexandrinorum, ex Philone potissimum cognitas, eo consilio adhibuisse, vt doctrinam sanctissimam de natura Iesu Christi diuina et praeexistentia, quibusdam maxime lectoribus, planam redderet. Cfr. S. V. Keilii commentatio secunda de doctoribus veteris ecclesiae

de terra condita narratione ita adhibenda, vt notioni primae illius, eiusque physicae creationis tacite adnectatur nouae cuiusdam, eiusque moralis creationis, per eundem Iesum Christum in terram delatum effectae, cogitatio. Transit inde scriptor in secunda prooemii parte (v. 6—9.) ad commemorandum Ioannis baptistae testimonium, quod de auctore nouae eiusque purioris doctrinae (Iesu Christo) mox prodituro palam exhibuerit. Tertia denique parte (v. 9—18), cuius commata priora nunc quidem vberiori interpretatione illustrare constituimus, de ipsis exponit beneficiis, quae Λογος ille, natura humana indutus, generi humano contingere iusserit.

Quemadmodum per totum prologum scribendi ratio obtinet abruptior, de enuntiationibus membrisque singulis accurate vinciendis minime sollicita; ita nostro loco (v. 9.) Ioannes ab argumento antea tractato ad ea, de quibus deinceps erat expositurus, subito progreditur, nulla eorum vocularum adhibita, quae nexui cogitationum accuratius significando soleant inseruire: ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον, ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Liceat iam singula, quae forte aliqua interpretatione

---

culpa corruptae per Platonicas sententias Theologiae liberandis, Lipſ. 1793. 4. ILL. PAULUS: philologiſch-kritiſcher und hiſtoriſcher Kommentar über das Evangelium Iohannis, 1ſte Hälfte, Lübeck, 1804, 8. ab initio.

grammatico-philologica indigeant, paucis perſequi; quo certius deinde feratur magisque ſubactum de vera verborum ſtruendorum totiusque ſententiae conſtituendae ratione iudicium.

In promtu eſt, eundem Λογον, quem Ioannes inde a v. 4. ſaepius *auctorem* [2]) lucis, φως, vocaverat, propterea dici το φως το αληθινον, quod *lucis* (doctrinae purioris) *auctor ſenſu perfectiſſimo* exſtiterit, prae aliis omnibus, qui vnquam docendo de genere humano bene meriti fuerint, hoc nomine dignus. Vocabulum quippe αληθινος (vt alias eiusdem ſignificationes ſilentio transmittam) nouimus de iis dici ſolere, *quae ita ſe habeant, vt nomine ſuo digna recte putentur*, ratione habita eorum, quae *vel omnino ſint indigna eiusmodi no-*

2) Vocabulum φως vt neque de ipſa Ieſu doctrina, neque de vi diuina omnia illuminante, neque de intelligentia hominum naturali, ſed de Subiecto indiuiduo acciperem, quod Ioanni Λογος vocatur (vd. p. 5. n. 1.) partim ipſe fecit vſus loquendi ſcriptorum N. T. Ioanni potiſſimum receptus, quo metaphora a luce omnia illuminante petita ad auctorem ſapientiae, virtutis, felicitatis, ſolet transferri (cfr. Io. 8, 12. 9, 5. 12, 35. 36. add. Lucae 2, 32) partim, quod φως v. 7. 8. Ioanni baptiſtae opponitur, ac praeterea pronomen αυτος v. 11. 12. de eodem φωτι adhibitum Subiecti indiuidui notionem ſatis perſpicue innuit. Quodſi in promtu eſt, voc. φως v. 7. ſqq. indicari eum, qui κατ' εξοχην lucis (cum phyſicae, tum moralis) auctor ſit appellandus; ipſa, opinor, interpretationis conſtantia hoc exigit, vt v. 4. 5. eandem notionem ei vindicemus.

mine, vel ſenſu minus perfecto, praeſtanti ac ſublimi ſic appellentur [3]). Prioris quidem notionis illuſtrandae gratia prouocaſſe ſufficiat ad loca 1 ep. Ioannis 5, 20. 1 Theſſalonn. 1, 9. (vbi ο θεος αληθινος opponitur τοις ειδωλοις.) Poſterioris vero praecipuus eſt vſus maximeque ſollemnis in oratione figurata; vbi hanc potiſſimum vim obtinet, vt innuatur, vocabulum, quod ſenſu proprio alius cuiusdam obiecti notionem complectatur, illi tamen, cui ſignificando nunc inſeruiat, competere ſenſu perfectiori. Quo ſenſu Ieſus Ioannis euang. c. 6. v. 32. ſemet ipſe appellat τον αρτον εκ τον ουρανου τον αληθινον (coll. v. 33. 34. 35.) panem coeleſtem veriſſimum (doctorem religionis veram generis humani ſalutem promoturae) ratione Mannae habita, panis coelitus delapſi, quem Moſes dicatur Iſrae-

---

3) Quod Ill. Langius monuit (in l. das Evangelium Johannis überſetzt und erklärt v. Prof. Lange, Weimar, 1797. 8. p. 54.) Ioannem vocem αληθινος haud raro ita adhibuiſſe, vt ea potiſſimum vellet ſignificari, *quae Deum ipſum*, τον αληθινον, alia cauſa nulla intercedente (immediate), *habeant auctorem*; id vereor, ne interpretationem doctam quidem, at iuſto ſubtiliorem, neque tam philologicam, quam dogmatico-moralem redoleat. Quamquam enim iis, quae apud Ioannem ſaepius vocantur τα αληθινα, egregie conuenit originis ſingularisque operationis diuinae notio; recte tamen mihi adfirmare videor, eam non ipſi vocabulo αληθινος per ſe ſpectato inhaerere, ſed inſuper accedere, ſi quis, omni orationis ſerie locis a V. Langio laudatis obtinente diligentius ſpectata, de eo quaeſiuerit, quanam de cauſa illa appellentur αληθινα.

litis comedendum praebuisse. Add. Io. 15, 1. εγω ειμι η αμπελος η αληθινη. 1 Io. 2, 8. οτι η σκοτια παραγεται, και το φως το αληθινον ηδη φαινει [4]). Eiusdem dicendi rationis (quae tandem facile nos perducit ad vniuersam *perfectionis* et *praestantiae* notionem tenendam, siue tropica fuerit, siue propria oratio) eiusdem, inquam, exempla apud profanos obuia minime desiderari e Xenophonte docuit Raphelius in annott. philoll. in N. T. p. 141. Dignum est, quod his addatur effatum Platonis in Phaedone c. 58. p. 461. ed. Fischer. vbi praestantior illa et superior mundi pars, quam homines intueri sensibusque adsequi omnino nequeant, his verbis commemoratur: Ο αληθως ουρανος, και το αληθινον φως, και η ως αληθως γη. Quodsi haec de vocabulo αληθινον vniuerse disputata ad locum praesentem transtulerimus, facile intelligemus, comparando v. 8. Iesum propterea dici lucis auctorem sensu perfectissimo ita appellandum, quod

---

4) Adderem insuper loca Lucae 16, 11. et epist. ad Hebrr. 8, 2. nisi priori quidem loco το αληθινον μαμωνα ex vsu linguae hebraicae de aeternis potius stabilibusque bonis dictum putarem; posteriori vero σκηνην αληθινην ad notionem templi coelestis significandam ideo translatam existimarem, quod templum coeleste, e decretis Iudaeorum seriorum, veluti typus exstet atque imago, templo terrestri Hierosolymitano struendo formandoque expressa. vd. Hebrr. 9, 24. (Ipse enim vsus profanorum Graeciae scriptorum facile quemuis docebit, ea, quae opponantur imaginibus, αντιτυποις, haud raro appellari αληθινα. vd. Xenoph. memorabb. Socr. ed. Schneider. l. 3. c. 10. §. 7. p. 200.)

cum alios religionis doctores, tum Ioannem baptiſtam, de futuro lucis auctore teſtatum, doctrinae dignitate et praeſtantia longe ſuperauerit [5]). Erat quippe *homines omnes* (verae cognitionis lumine) *illuſtraturus*. Quemadmodum enim neminem eorum, qui N. T. lectionem vel obiter tetigerint, ignoraturum puto, formulam φωτιζειν (e more hebraici האיר, vd. Pſ. 19, 9.) ad homines edocendos, erudiendoque beandos ſolere transferri, (Epheſſ. 1, 18. 3, 9.) ita Ioanni inprimis ſollemnem nouimus hanc enallagen, vt tempus praeſens futuri vices gerat (Io. 6, 14. 11, 27. 16, 28. 17, 11.) Cfr. quae inprimis de vſu praeſentis ειμι monita legimus in B. Storrii: Lehrbuch der chriſtl. Dogmatik, überſ. mit Anmerk. von M. Flatt, p. 347. [6]) Notionem

---

5) Sufficiat ad Lampii commentarium in euangel. Io. Vol. I. p. 330. ablegaſſe eos lectores, qui forte accuratius cognoſcere cupiant, quam ſubtili et operoſo labore antiquiores interpretes (Theologiae typicae lumine, largo quidem, neque tamen vbique αληθινῳ, colluſtrati) in iis indagandis fuerint verſati, quibus lucem veriſſimam a Ioanne putarent oppoſitam. — Ceterum minime aduerſabor, ſi quis coniecerit, ſcriptorem noſtro potiſſimum loco rationem habuiſſe eorum Ioannis baptiſtae diſcipulorum, qui de magiſtro magnificentius, quam par eſſet, dicerent, ac ſentirent. — Vernacule reddiderim: das eigentliche Licht ſ. der eigentliche Erleuchter.

6) Nolim tamen repugnare, ſi quis notionem temporis praeſentis propriam in explicando vocab. φωτιζειν ita tenendam putauerit, vt Ioannes ad vim doctrinae Chriſt. mentes hominum verae cognitionis lumine iubuendi, etiamnum inter homines operantem et porro operaturam reſpexiſſe exiſtimetur:

vero *hominum omnium*, quo minus ea ſubtilitate conſtituamus. quae verba ſingula anxie premat, res ipſa prohibet. Immo in eo acquieſcamus, quod, quicunque voluerint illius luminis veriſſima luce colluſtrari, iidem poſſint vim eius ſalutarem et efficaciam animo experiri, ſublato omni aetatis, generis, nationisque diſcrimine. Cfr. v. 7. ινα παντες πιϛευσωσι δι αυτου [7]).

Dicitur tandem ille lucis veriſſimae auctor in mundum venturus, ην ερχομενον εις τον κοσμον (i. e. inter homines exſtiturus, vitamque inter eos acturus, ipſe natura humana indutus). Quae formula, ex hebraico (Rabbinorum potiſſimum) loquendi vſu [8]) בוֹא לעוֹלם (naſci, in vitam prodire) petita, eo aptior eſt, magisque accommodata Ioanneae diſputationi, quo clarius ipſum prologi initium demonſtrat, Ioannem ad Ieſum Chriſtum cogitatio-

---

7) Ceterum recte oſtendit Heumannus in *poecile* T. III. p. 199, haud raro dici aliquem in libris S. S. feciſſe id, quod perficere ſtuduerit.

8) Vd. Vorſtius de hebraiſmis N. T. p. 713. ed. Fiſcher. Druſius in Criticis ſacris, T. IV. p. 1552. itemque Schoettgen in horis hebrr. et talmudd. T. I. p. 522 ſqq. Add. e libris apocryphis loca libri Sapientiae 2, 24. 14, 14. vbi partim de morte, partim de idolorum cultu, incipiente vim ſuam inter homines exſerere, formulam εισερχεσθαι εις τον κοσμον, ſenſu tropico adhibitam legimus. Notionem in vitam prodeundi propriam ibidem expreſſam videmus loquutione ſimili: εισοδος εις τον βιον, cui oppon. εξοδος. Sapient. 7, 6. coll. 3, 2.

nem του Λογου Iudaeis Alexandrinis cognitam ita transtuliſſe, vt doctrinam de origine Ieſu Chriſti diuina eiusdemque praeexiſtentia lectoribus ſuis commendaret. Docent quippe, ni omnia me fallunt, loca epiſt ad Hebrr. c. 10. v. 5. et euang. Io. 18, 37. ipſam hanc ſublimiorem praeexiſtentiae notionem adhaeſiſſe verbis: ερχεσθαι εις τον κοσμον, in N. T. de Ieſu Meſſia adhibitis; quum priori quidem loco ipſe Meſſias, olim in mundum (terram) venturus (εισερχομενος εις τον κοσμον) aduentum ſuum praenunciaſſe (λεγειν) dicatur verbis Pſ. 40. v. 7. 8. adhibitis; poſteriori vero Ieſus, coram Pilato cauſam dicens, formulae: γεγεννημαι, ita iungat verba: εληλυθα εις τον κοσμον, vt haud inprobabiliter colligere liceat, ſimplici *naſcendi* notione minime totam contineri huius formulae vim et ſignificationem (id quod iampridem bene intellexit Grotius in Criticis ſacris T. IV. p. 1567.) Inde lucem, opinor, lucrabuntur effata ſimillima Io. 3, 19. το φως εληλυθεν εις τον κοσμον. 9, 39. εις κριμα εγω εις τον κοσμον τουτον ηλθον. 12, 46. εγω φως εις τον κοσμον εληλυθα. 16, 28. εξηλθον παρα του πατρος, και εληλυθα εις τον κοσμον. ep. ad Timoth. I, c. 1, 15. οτι ιησους χριστος ηλθεν εις τον κοσμον. Praeterea, quum Ioannis ev. 6, 14. Iudaei, factum inſigne a Ieſu editum intuiti, mirabundi exclamaſſe dicantur: οτι ουτος εστιν αληθως ο προφητης, ο ερχομενος εις τον κοσμον; itemque in ſermone Marthae, Io. 11, 27. verbis: ο χριστος, ο υιος του θεου, iuncta legatur formula: ο εις τον κοσμον ερχομενος; recte licebit hanc phraſin inter

eas referre, quae paulo ante Christum inter Iudaeos de Messia exspectato adhiberi coeperint (quales fuere: ο ερχομενος εν ονοματι κυριου, η ερχομενη βασιλεια, etc. Matth. 21, 9. Marci 11, 10. Luc. 7, 20. 13, 35. 19, 38. Io. 12, 13.) 9).

---

9) Quodsi accurate perpenderimus: *a*) formulam illam hebraicam, cui phrasis: ερχεσθαι εις τον κοσμον, respondeat, Rabbinis fuisse sollemnem (vd. supra n. 8.), *b*) in scriptis Rabbinorum, libris Iudaeorum apocryphis, et Philone haud obscura deprehendi vestigia placiti, Iudaeis (nisi omnibus, permultis tamen) tempore exilium Babylonicum insequuto probati, e philosophematibus cum Graecis tum Orientalibus enati, *de praeexistentia animarum humanarum et loco a terra remoto, vbi illae soleant versari, priusquam humanis iungantur corporibus* (cfr. B. Bauer: Theologie des Alten Testaments, p. 245 sqq. et Amic. Bretschneider: systematische Darstellung der Dogmatik und Moral der apocryphischen Schriften des alten Testaments, T. I. p. 278 sqq.), *c*) in iisdem Rabbinorum libris Messiae, quem Iudaei exspectabant, aperte tribui aeternitatem et praeexistentiam, (cfr. Schoettgenii horae hebraicae et talmudicae, T. II. p. 370. sqq. 382. sqq. 435. sqq.) neque alios Iudaeos a persuasione de origine Messiae ignota eiusdemque praeexistentia alienos fuisse videri (vd. Bauer l. l. p. 422. sqq.); non inepte, opinor, iudicabimus, scriptores N. T. non primos exstitisse auctores notionis praeexistentiae verbis: ερχεσθαι εις τον κοσμον adiunctae, sed eandem phrasi laudatae iam antea ita adhaerentem deprehendisse, vt satis commode possent in suum vsum transferre. Sic omnino adumbratum fuerat decretis Iudaeorum seriorum, quod reuelatio Christiana confirmauit et luce plenissima collustrauit. — Ceterum vereor, vt formula Talmudica רב אתא (Rabbi venit, i. e. docet, tradit aliquid), quam V. Langius in libro supra (n. 3.) laud. p. 56. cum nostra: ερχ. εις τον κοσμον conferendam existimauit, satis accurate ei respondeat.

His praemittendis, quae vocum ſingularum interpretationi conſulerent, viam mihi muniiſſe videor tutiſſimam ad eam, quam explicando ſequutus ſum, verborum ſtructuram defendendam. Fuerunt enim, qui verba: ερχομενον εις τον κοσμον propius referrent ad παντα ανθρωπον, hoc quidem ſenſu: *ille* (lucis auctor) *erat lucis auctor veriſſimus, illuſtraturus quemuis hominem naſciturum*) ſ. perpetuo illuſtrans omnes homines in vitam prodeuntes.) [10]) Quam ſtruendi rationem praeter alios eandem amplexos (v. c. Eraſmum in Criticis ſacris T. IV. p. 1531. et Hakſpanium in ſylloge diſputatt. p. 94. ſqq.) nuperrime V. Paulus (in commentario in euang. Io. p. 100.) argumentis pluribus, cum ex vſu dicendi tum ex omni orationis ſerie petitis tueri ſtuduit. Monuit quippe, *a*) verbis eo modo iungendis omni loco egregiam conciliari gradatio-

---

10) Qui huic fauent interpretationi, talem fere exiſtimant euadere debuiſſe orationem Ioannis integram: εκεινο το φως (ſcil. de quo Ioannes baptiſta teſtimonium exhibuerat, v. 8.) ην το φως το αληθινον etc. Sententiam loci primariam parum mutant (quamquam praeter ellipſin inſuper aliquam verborum traiectionem admittant neceſſe eſt) qui ita vertunt: ille lucis auctor, qui illuſtrat quemuis hominem in vitam prodeuntem, veriſſimus erat lucis auctor. Vtraque ratio ſimplicitate et facilitate praeſtat eorum ſententiae, qui non ſine aliqua duritie (recte notata a V. Süskindio in commentat. etwas über die neuern Anſichten der Stelle Io. 1, 1—14. in I. Magazin für chriſtliche Dogmatik und Moral, 10. Stück) ante ην v. 9. in. ſubintelligi malunt Subſtantiuum λογος e v. 1. repetendum.

nem: ην το φως (v. 9.) — εν τω κοσμω ην (v. 10.) εις τα ιδια ηλθε (v. 11.), *b*) eandem posse vocabuli κοσμος significationem seruari, quae v. 10. obtineat, *c*) tantum abesse, vt verbis: ερχομενον εις τον κοσμον ptiosa obtrudatur tautologia, vt etiam vim του παντα haud parum augeant. Liceat his meas qualescunque addere rationes, me inpedientes, quo minus V. Pauli sententiae calculum adiiciam. Ac primum quidem ipse, qui in libris N. T. obtinet, vsus loquendi eam, qua vbb. ερχομενον εις τ. κ. a Substantiuo φως pendere existimantur, struendi rationem commendare, ne dicam esflagitare mihi visus est. Facile enim quemuis docebit comparatio locorum supra laudatorum, solere formulam: ερχεσθαι εις τον κοσμον in libris N. T. vbique ad Iesum Messiam transferri. Quodsi quis existimauerit, sententiam eorum, qui ερχ. εις τ. κ. ad παντα ανθρ. referant, ipsa lege gradationis a V. Paulo laudatae nostrae praestare; is perpendat, quaeso, minime omnem tolli gradationem oratoriam (huius quidem prologi oeconomiae bene accommodatam) verbis eo, quem probauimus, modo iungendis. Etenim, postquam Ioannes v. 9. de illo verissimo lucis auctore dixerat, eum debuisse ex decreto diuino hominem fieri, sequenti v. 10. addit (ratione *suae aetatis* habita), doctorem illum praestantissimum (annunciatum, destinatum) *re vera* inter homines *esse versatum*: εν τω κοσμω ην [11]). Neque video,

11) Nonne ipsa haec v. 10. verba ita se habent, vt, quum lucis auctor in κοσμω fuisse, adeoque ipsius ope κοσμος exsti-

quid tandem nos, talem verborum interpretationem amplexos prohibiturum sit, quo minus Substantiuo κοσμος v. 9. eandem *terrae eiusque incolarum intelligentia praeditorum* (hominum) significationem tribuamus, quae versus 10. membro primo ac tertio obtineat.[12]). Denique causam idoneam, quae Ioannem mouere potuerit, vt notionem hominum omnium (iam supra v. 7. satis clare expressam) addendis verbis ερχ. εις τ. κ. augendam putaret et amplificandam, mihi quidem non apparere ingenue profiteor. Ceterum, quod contra V. Langium (eodem fere modo, quem nos sequuti fuimus, verba ερχ. εις τ. κ. ad φως referentem, l. l. p. 56.) monitum legimus ab eiusdem versionis et commentarii censore (vd. Schmidtii Bibliothek für Kritik und Exegese des N. T. 2ter B. 1stes Stück) scribendum fuisse: ην το φως ουπω εληλυθος s. ην το φως ετι ερχομενον; id propterea minime sufficere visum est ad nostram loci interpretationem infringendam, quod neque omnino eam licet in scribendo ακριβειαν a N. T. scriptoribus exigere, quae nullam

---

tisse dicatur, vel inde summa probabilitate colligi possit ac debeat, ad eundem pertinere formulam ερχεσθαι εις τον κοσμον v. 9. praemissam?

12) Etenim, quo minus voc. κοσμος ll. ll. ad solam Iudaeorum gentem significandam pertinere existimem, luculentissima impediunt vestigia (inpr. v. 4. και η ζωη ην το φως των ανθρωπων, v. 7. ινα παντες πιστευσωσι δι αυτου, v. 9. ο φωτιζει παντα ανθρωπον) quae docent, de iis agi beneficiis, quae per Iesum Messiam *hominibus omnibus* fuerint parata.

facile negligat voculam, neque alienum esse vidimus ab elocutione Ioannea, praesenti tempori notionem futuri tribuere (vd. p. 10.) Tertia fuit explicandi ratio eorum interpretum, qui, quanquam et ipsi phrasin ερχομενον εις τον κ. minime ad παντα ανθρωπον referrent, eandem tamen mallent verbis: ο φωτιζει, quam antecedentibus, propius iungi: *erat ille lucis auctor verissimus*, qui, postquam [13]) *in terram venit, homines omnes illuminat*, s. *qui, veniens in terram* (i. e. per suum in terram aduentum) *omnes homines illuminat.* [14]) Cui sententiae lubentissime accederem, nisi partim omnis cogitationum vv. 8. 9. 10. expressarum series, quam Ioanni haec scribenti ante oculos versatam videri supra (p. 15.) monuimus, suasisset, vt phrasin: εις τ. κ. ερχ. verbis: ην το φως το αληθ. arctius iungendam putaremus, partim ipsum obstaret participium ερχομενος. Etenim, siue propriam maluerimus praesentis notionem tenere, sententiam lucrabimur eam, quae obscuritate quadam molesta ac difficili prematur; [15]) siue praesenti tempori notionem imperfecti

---

13) Cfr. S. V. Rosenmülleri scholia in N. T. T. II. p. 254. B. Semmleri paraphrasis evangelii Io. cum notis p. 14.

14) Cfr. D. Heumann Erklärung des neuen Testaments, T. III. p. 20 sqq. B. Mori recitationes in evang. Io. edd. a B. Dinndorfio, p. 6. 7.

15) Quemadmodum nemo facile explicuerit, quo tandem sensu lucis auctor recte dici potuerit etiamnum in terram veniens homines illuminare, aut olim homines illuminasse, eo qui-

ſubſtituerimus, prouocantes ad vſum loquendi eiusmodi interpretationi non omnino repugnantem (vd. v. 5. φαινει, v. 15. μαρτυρει), quouis tamen pacto mirum videatur neceſſe eſt, quod Ioannes ſcribere noluerit: ελθον εις τον κοσμον, omnem ambiguitatem euitaturus.[16] Neque ea, quam probaui, interpretatio, ex mea quidem perſuaſione eo poteſt refutari, quod Chriſtus minime tum demum natus fuerit, quum Ioannes baptiſta doctor prodiiſſet, ſed ſexto poſt Ioannem natum menſe (Luc. 1, 36.), nec facile

---

dam tempore, quo in terram veniret; ita vereor, ne vim aliquam verbis inferat B. Mori interpretatio: durch ſeine Ankunft in die Welt hat er das ganze Menſchengeſchlacht belehrt.

16) Singularis eſt neque vero mihi probata B. Bolteni interpretatio (in l. Bericht des Johannes von Jeſu dem Meſſias überſetzt mit Anmerkungen von Bolten, p. 5.): *es kam*, nämlich das wahre, jedermann erhellende Licht in die Welt. Similiter vertit Euchar. Oertel (in l. Ioannis euangelium, hebraiſmen frey überſetzt, p. 4): das ächte Licht kam erſt nach ihm (dem Johannes) etc. Quanquam enim vſus dicendi librorum N. T. (maxime hiſtoricorum) minime prohibet, quo minus vocabulum ην, iunctum aliu cuiusdam verbi participio praeſentis, eiusdem verbi inperfecti aut perfecti vices gerere putemus, ita quidem, vt plerumque partim aliqua actionis continuatio ſignificetur, partim ad alia reſpiciatur, quae praeterea eodem tempore acciduſſe aut geſta eſſe dicantur (vd. Lucae c. 1. v. 21. c. 5. v. 16. 17. c. 15. v. 1.); maiorem tamen vim grauitatemque verbis commatis 10. conciliari putauerim, formulam (v. 9.) ην εις τ. κ. ερχ. ita interpretando, vt doctor praeſtantiſſimus ex decreto diuino naſci debuiſſe dicatur. Vd. ſupra notata p. 15.

explicari possit, quo tandem sensu auctor lucis recte dici potuerit homines illustrasse eo tempore, quo natus esset. Cfr. quae S. V. *Kuinoel* in comment. egregio in libros N. T. historicos Vol. III. Lipsiae, 1812. edito p. 103. sq. interpretationi meae oppposuit. Etenim, quod prius attinet, quanquam Euangelista Iesum minime, ratione eius aetatis habita, qua Ioannes baptista testimonium de Christo ederet, eum appellare potuit, qui nunc demum nasciturus esset; recte tamen licebat phrasin: ερχομενος εις τον κοσμον, eatenus ad Iesum transferre, quatenus haec formula Iudaeorum sollennis Messiam omnino describeret tanquam promissum, decreto diuino hominibus destinatum (der κατ' εξοχην der kommende genannt wird, der verheissene und bestimmte, der nach göttlichem Rathschluss kommen *solite.*) Eodem sensu, (vt in vno exemplo acquiescam supra laudato), Martha, quo tempore Iesus palam docere dudum coeperat, eiusque dignitas Messiana a multis fuerat agnita, Io. euang. c. XI. v. 27. his verbis eum alloquuta est: σὺ εἶ ὁ χριστὸς, ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος. De posteriori argumento hoc vnum monuisse sufficiat, nihil esse, quod nos verbo φωτιζειν limites angustiores scribere, eiusque vim ad eam aetatem, qua Christus nasceretur, referre iubeat. Cfr. quae supra nota 6. diximus. Sententia totius commatis noni haec euadit: *quae quidem lux erat* (f. *est*) *verissima, homines omnes collustrans, illa* (quae dici solet) *in*

mundum ventura. Ceterum veriſſime quidem monuerunt S. V. *Kuinoel* (in comment. laud. p. 103.) et *Weber* (in comment. de exordio euangelii Ioannei e ſermonibus Ieſu et Ioannis baptiſtae compoſito, Vitebergae, 1812. 4. p. 31.) verbum ερχεσθαι ſaepenumero de doctore ſ. propheta dici, nomine Dei palam prodeunte, ſuumque munus auſpicante. Nolim item concedere, phraſin vberiorem ερχεσθαι εις τον κοσμον ſolitam eſſe ita vſurpari, vt a verbo ſimplici ερχεσθαι, notionem palam prodeundi (munus doctoris auſpicandi) ſignificante nil differret. Cfr. ſupra p. 13. 14. diſputata. Diſtinguuntur ſane (vt Kuinoelius ſcite monuit) Io. ev. 18, 37. ερχεσθαι εις τον κοσμον et γεννασθαι, ſed ita diſtinguuntur (ni omnia me fallunt), vt verbum quidem γεγεννημαι ſimplicem naſcendi notionem exprimat, illud vero εληλυθα εις τον κοσμον accuratius notionem eius doctoris eloquatur, quem Deus *coelitus* ad homines legauerit, veriſſima traditurum. Cfr. loca ſimillima, vbi Ieſus, veritatem doctrinae ſuae ſancte adfirmans, originem ipſius et legationem diuinam aperte commemorat, v. c. c. 3. v. 11. 12. c. 6. v. 32. ſeqq.

Sequuntur verba v. 10. εν τω κοσμω ην, και ο κοσμος δι' αυτου εγενετο και ο κοσμος αυτον ουκ εγνω. Lucis veriſſimae auctor generi humano deſtinatus et promiſſus, porro dicitur in terra (inter homines) revera eſſe verſatus. Diſcedendum quippe putauimus ab eorum interpretum ſententia, qui, ſubſtanti-

vo κοσμος notionem totius rerum vniuerſitatis vindicantes, et inperfectum ην ſenſu plusquamperfecti accipientes, totam ῥησιν ita reddendam exiſtimant: fuerat (lucis veriſſimae auctor) in mundo (priusquam naturam indueret humanam). 17). Quo ſaepius enim, quoque diligentius locum noſtrum intuebar, ſingula v. 9. 10. 11. verba ſibi invicem conferendo; eo magis intelligebam, omni orationis Ioanneae nexui rectius conſuli, verbis: εν τω κοσμω ην, ita intelligendis, vt ſcriptorem noſtrum non tam ad illam ſupra v. 1. 2. 3. laudatam του λογου praeexiſtentiam redire putemus, quam, aduentu Chriſti tanquam promiſſo atque deſtinato verbis antecedentibus (v. 9.) commemorato, porro progredi ad notionem doctoris praeſtantiſſimi inter homines (εν κοσμω) re vera verſati (v. 10.), immo ad *ſuos* delati (v. 11.) ſermone breui pariter ac ſublimi ſignificandam. Attamen, quum neminem fugiat, cauſam praecipuam, quae alios interpretes ad probandam ſubſtantiui κοσμος explicationem ſupra propoſitam perduxerit, contineri ſequentibus: και ο κοσμος δι' αυτου εγενετο; de eo potiſſimum videamus neceſſe eſt, quanam ratione haec intelligenda et

17) Cfr. S. V. Roſenmülleri ſcholia in N. T. T. II. p. 254. B. Herder (in I. von Gottes Sohn, der Welt Heiland, nach Johannes Evangelium), qui ita vertit: zwar war es (das Licht) in der Welt, die durch dies Licht geworden, immer ſchon, doch von ihr unerkannt. Similiter V. Lange l. l. p. 57. zwar lebte er ſchon unter den Menſchen, aber — ihnen gänzlich unbekannt.

reliquis recte iungenda atque concilianda existimemus. Nouimus quippe, in duas partes abiisse phraseos nostrae interpretes; aliis quidem de creatione *physica* (cum totius rerum vniuersitatis, tum terrae) agi putantibus [18]) (terra per eum extiterat), aliis (maxime Socinianis) de creatione *morali* (hominum institutione noua et perfectiori, atque emendatione Iesu Messiae debita) cogitantibus (terrae incolae per eum veluti crebantur, s. in melius mutabantur, i. e. rectius edocendo emendabantur). [19]) Quae posterior ratio, etsi primo quidem obtuitu mihi potissimum ideo possit probanda videri, quod meae de sensu verborum antecedentium (εν τω κοσμω ην) sententiae antea prolatae egregie patrocinetur; ingenue tamen profiteor, morali verborum interpretationi plura inesse, quae displiceant; quum, praeter ipsum loquendi vsum, et commatum c. 1. priorum (maxime tertii) et verborum proxime insequentium: και ο κοσμος αυτον ουκ εγνω, indolem atque sententiam manifesto ei repugnare intelligamus. Etenim, quod primum omnium huius interpretationis defensoribus fuerat demonstrandum, vsum loquendi

18) Vd. v. c. Lampii comment. Vol. I. p. 337. Heumann l. l. p. 22 sqq. Semleri paraphrasis p. 15 sqq. B. Storrii liber: über den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Johannis, p. 433 sqq. V. Lange l. l. p. 57. B. Rosenmülleri scholia T. II. p. 254. B. Mori recitatt. laudd. p. 7. Bolteni versio laud. p. 5.

19) Cfr. v. c. Schlichtingii commentatio posthuma in Io. 1. in eiusd. opp. T. I. p. 9.

permittere, vt formulam: ὁ κοσμος εγενετο ad moralem quandam hominum renouationem (emendationem ab inſtitutione profectam) referamus, id locis N. T. hanc ad rem idoneis a nemine vnquam[20]) video probatum. Alia eſt ratio vocabulorum κτιζειν et κτισις, creationi morali ſignificandae interdum inſeruientium. [21]) Neque video, quanam tandem ratione illam, de qua nunc agimus, verborum explicationem verbis v. 3. παντα δι' αυτου — ὁ γεγονεν, ſalua interpretationis conſtantia, liceat conciliare; niſi quis artificioſius, quam verius, loco laudato eandem creationis moralis notionem voluerit obtrudere, neque ipſorum commatis 3. verborum: παντα — εγενετο, totius rerum vniverſitatis originem ſatis clare innuuentium, neque commemorationis praeexiſtentiae του λογου proxime praegreſſae (v. 1. 2.), neque antiquiſſimi Geneſeos documenti c. 1. (quod animo Ioannis haec ſcribentis obuerſatum fuiſſe praeter alios recte oſtendit Boltenus in notis verſioni ſubiectis) vlla ratione habita.

---

20) Idem, opinor, de V. Pauli coniectura valet, acuta illa et ſubtili, neque vero argumentis firmata ſufficientibus, licere voculam τι poſt κοσμος cogitando addere: die Welt ward ſchon etwas andres, beſſeres durch ihn (commentar. in ev. Io. p. 101.).

21) Accedit, quod (vt bene docuit B. Storrius in l. l. p. 433. ſqq.) eiusmodi loca N. T. (vt Epheſſ. 2, 10. 2 Corr. 5, 17. Gall. 6, 15.) ita ſe habent, vt ex iis, quae vocibus: κτιζειν et κτισις addita legamus, moralis eorum vis atque poteſtas facile eluceſcat.

His tertium addere liceat eiusdem interpretationis incommodum, profectum e sequentibus: και ο κοσμος αυτον ουκ εγνω, quae, notione creationis moralis ad nostrum l. translata, miro modo torqueantur necesse est. Mutua quippe sententiarum repugnantia, inde oriunda, quod membro v. 10. tertio homines non agnouisse (doctorem verissimum agnoscere noluisse) dicantur eundem lucis auctorem, quem Ioannes modo perhibuisset homines edocendo emendasse, tolli omnino nequit, nisi voc. κοσμος membro secundo vel de parte hominum vere emendata, vel sensu minus definito de hominibus, tertio autem de parte hominum doctrinae verissimae lucem non admittente, neque emendata dictum putaueris. Attamen, quemadmodum angustiorem illam substantiui κοσμος significationem, qua homines vere emendatos innuat, exemplis idoneis omnino videmus destitui; ita verendum, ne, tali verborum interpretatione admissa, elocutioni Ioanneae obtrudatur ea inconstantia et ambiguitas, quae iunctam sibi habeat summam obscuritatem. [22]) Quanquam vero argumentis modo laudatis ducti ad eorum partes accedimus, qui verbis: και ο κοσμος δι' αυτου εγενετο, creationem, quam dicunt, physicam praedicari recte existimant; minime tamen, his concessis, interpretationem membri primi: εν τω κοσμω ην, supra

22) Quo posteriori argumento ad oppugnandam moralem loci interpretationem inprimis vsus est V. Süßkindius in comment. supra laud. n. 10.

exhibitam deſerere cogimur. Immo ſaluâ manet, et incolumis, modo verba: και ο κ. — εγενετο, non tam antecedentibus, quam ſequentibus, arctius iungantur, ita vt minime cauſam indicare putentur rationemque ſententiae membro primo declaratae (ab aliis de praeexiſtentia του Λογου intellectae), ſed ea complecti, vnde clarius eluceſcat mira illa et damnanda vanitas eorum terrae incolarum, quî lucis veriſſimae auctorem, cuius ope ipſa extiterit terra, agnoſcere noluerint. Itaque locum integrum ita vertendum cenſeo: *verſatus eſt lucis auctor in terra* (ſ. inter terrae incolas); *quanquam vero terra* (vna cum omni rerum vniuerſitate) *illius ope extiterat, noluerunt tamen terrae incolae ipſum agnoſcere.* Singula quippe orationis membra a Ioanne, ope voculae και (quam interdum latino: *tamen*, reſpondere, abunde probauit Elsnerus in obſervatt. p. 293.) negligentius iuncta videmus (cfr. v. 1. et v. 14.). Neque verendum puto, ne quis, commate noſtro ſic intellecto, eadem offendatur ſermonis ambiguitate obſcuriori, qua moralem interpretationem ſupra commemoratam premi monuimus. Quanquam enim noſtra v. 10. verſio omnino ita ſe habet, vt vocab. κοσμος primum terrae eiusque incolarum, tum ipſius potius terrae (omni quippe rerum vniuerſitate comprehenſae) quam hominum, denique[23]) magnae partis ter-

23) Verba enim: και ο κοσμος αυτου ουκ εγνω, minime poſſe ad omnes terrae incolas referri, cum res ipſa docet, tum

rae incolarum significationem obtineat; harum tamen notionum singularum, cum nobis, tum primis evang. Io. lectoribus satis cognitarum et loquendi vsu comprobatarum coniunctio apparet intima.[24])

Quodsi de enuntiationibus singulis v. 10. explicandis, nectendisque eo modo fuerit iudicatum, facile intelligemus, transitum patere aptissimum ad verba v. 11. εις τα ιδια ηλθε και οι ιδιοι αυτον ου παρελαβον. Cuius loci veram interpretationem a notione vocabuli τα ιδια recte constituenda (varie tamen a variis constituta) totam pendere videmus. Quemadmodum inter omnes constat, voci ιδιος hanc subesse notionem vniuersam, vt omnino complectatur,

---

argumentum v. 11. et 12. οσοι δε ελαβον etc. Constat insuper, voce κοσμου in libris N. T. haud raro eos potissimum innui, qui doctrinae Christ. aduersentur, v. c. 1 Corr. 1, 21. Rom. 11, 12.

24) Ceterum non defuerunt, qui vbb. και ο κοσμος αυτον ουκ εγνω eo referrent, quod Λογος, ante ipsius in terram aduentum in mundo versatus, ibidemque hominibus edocendis emendandisque, doctores excitando, vaticinia edi iubendo, et alia instituendo prospiciens, tamen *illo tempore ab hominibus omnino non agnitus fuerit.* Cfr. supra n. 17. Verum in promtu est, haec omnia pendere ab illa membri primi interpretatione, cui nos, causis allatis ducti, calculum addere non potuerimus. — Verbulo addere liceat, Socinianorum quosdam verba: ο κοσμος δι' αυτου εγενετο (neque vsum praepositionis δια in N. T. obtinentem, neque verba v. 3. satis accurate perpendentes) ita explicuisse, vt *mundus propter* Λογον (*Iesu Christi causa*) diceretur creatus.

quaecunque vlla de cauſa ſenſu quodam ſingulari ac praecipuo ad aliquem pertineant; ita e locis compluribus cum profanorum Graeciae ſcriptorum, tum N. T. iampridem innotuit vſus formulae τα ιδια (ſubint. οικηματα) ad *aedem*, *domum*, translatae, ideo ſic appellatam, quod aliquis vel inhabitare eam, vel tanquam peculium tenere, vel inde oriundus eſſe dicatur. Cfr. Io. 16, 32. 19, 27. Actt. 21, 6. 3 Maccabb. 6, 27.[25]) Nouimus inſuper, ſolere apud Hebraeos ſcriptores creationem cum totius rerum vniuerſitatis, tum terrae, iis depingi imaginibus, quae ab artificioſa ac diligenti aedificii ingentis ſtructura ſint depromtae. (cfr. v. c. Ieſaias 40, 12—14. Proverbia 8, 22—30. Iobi c. 28. v. 20—27.) His conſtitutis, quo diligentius verſum 11. cum praecedenti commate contuli, eo propius mihi ad veritatem accedere viſi ſunt, qui τα ιδια *terram* (κοσμον) et τους ιδιους *terrae incolas* innuere exiſtimant.[26]) Dicitur lucis veriſſimae auctor (ο Λογος) in terram ipſius ope et interuentu creatam, veluti in aedem, quam exſtruendam ipſe curaverit, ideoque tanquam peculium teneat, ad homines, veluti

25) Loca partim e profanis partim e Ioſepho depromta ſuppeditarunt V. Schleusner in lexico N. T. T. I. ſub h. v. Lampius in comment. laud. T. I. p. 339. (n. b.) Kypkius in obſervv. ſſ. T. I. p. 347. ſqq.

26) Cfr. B. Morus in recitatt. laudd. p. 7. Bolteni verſio ev. Io. p. 5. Zieglerus in: Bemerkungen über das Evangelium Joh. in: Gabler neueſtes theologiſches Journal, 9. B. 1. Stück (a. 1802.) V. Lange l. l. p. 58. ſqq.

aedis illius incolas, domeſticos, ideoque praecipuo iure ad ipſum pertinentes, eſſe delatus, neque vero ab iisdem receptus (i. e. a plurimis eo, quem ipſi debebant, cultu et amore, dignus non iudicatus). Fortius et grauius enunciatur, adhibita imagine, quod v. 10. ſermone proprio fuerat eloquutus; neque cum B. Storrio (l. l. p. 184.) verendum exiſtimo, ne, ſi mundum omnem ſ. terram ſub τοις ιδιοις intellexerimus, commati noſtro et 10. otioſa obtrudatur tautologia. Anguſtioribus terminis ſignificationem vocabuli τα ιδια circumſcribunt ii interpretes, qui Palaeſtinam eiusque incolas, gentem Iudaicam, (terram quippe Immanuelis vocatam, Ieſa. 8, 8. et Dei vineam, ib. c. 5.) potius, quam terram omnem, intelligunt; [27]) minime argumentis deſtituti idoneis. Siue enim eo reſpexeris, quod Ieſus κατα σαρκα fuerit Iudaeus, ſtirpem duxerit e gente Davidica, ſuamque religionis doctrinam Iudaeorum genti prius, quam ceteris omnibus tradendam curauerit, ita vt eum ſeſe gereret ac publice profiteretur, quem olim proditurum ſacri Iudaeorum vates ab antiquiſſimis inde temporibus commendaſſent; ſiue inſuper rationem habendam putaueris ſingularium religionis Iudaeae

27) Cfr. Heumann l. l. p. 24. ſqq. Semleri paraphr. p. 18. B. Storrius l. l. p. 184. Kypkius in obſſ. ſſ. T. I. p. 347. ſqq. B. Roſenmüller in ſcholl. T. II. p. 255. ſqq. Euchar. Oertel l. l. (in den Anmerkk. p. 9.) T. II. Paulus comment. in Io. p. 101.

institutorum, legisque reuelatae, per quam ὁ Λογος του θεου iampridem veluti domicilium sibi in Palaestina elegerit, omninoque praecipui fauoris, singularisque beneuolentiae, qua Deus (Λογῳ coniunctissimus) gentem Iudd. tanquam peculium ipsi dilectum ornauerit;[28] vtroque sensu lucis auctor verissimus, in Palaestinam, veluti patriam, s. familiam domumque suam peruenisse vtique dici potuit. Neque ipse mihi ab illorum VV. DD. sententia (quam olim fueram amplexus) discedendum existimassem, nisi cum locis supra n. 12. laudatis, tum omni, quae in nostro obtinet prooemio, indole poëtica et sublimi obseruanda ductus intellexissem, vniuersam totius generis humani notionem consilio prologi omnique eius indoli amicius conspirare.[29] Accedit, quod argumentum loci Geneseos,

---

28) B. Storrius l. supra laud. Ioannem propterea existimat gentem Iudd. appellasse Christi gentem (τους ἰδιους) vt oppugnaret Gnosticum Cerinthi errorem, gentem Iudd. illi Demiurgo malo, quem a summo Deo distingueret, subesse putantis. Cuius sententiae veritatem inde pendere videmus, quod certo demonstretur, errores Cerinthi eo tempore, quo Ioannes suum scriberet euangelium, ita iam fuisse dispersos, vt Ioannes et posset et deberet consilium capere illorum refutandorum.

29) Liceat animi sententiam Viri immortalis memoriae, B. Herderi, verbis eloqui: Johannes wollte durch diesen Eingang den metaphysisch-gnostischen Spekulationen entgegenwürken, und die Menschen zum Charakter ihres Geschlechts, die Christen zum Wesentlichen des Christenthums zurückführen: *der Sohn Gottes ist der Welt Heiland!*

cuius Ioannes rationem habuisse videtur, nostrae v. 11. interpretationi patrocinatur.[30])

Quod supra (n. 23.) monuimus, verba: ὁ κοσμος αυτὸν ουκ εγνω, et οι ἰδιοι — παρελαβον ita esse comparata, vt, quae vniuerse enunciauerit elocutio sublimis, eadem, si quis rem ipsam accuratius spectauerit, de magna tantum parte intelligi debeant; id luculentius confirmatur sequentibus v. 12. digni-

---

30) Argumentis huic interpretationi ab Ortelio (l. l. Anmerkk. p. 9.) oppositis bene responsum est a Langio (l. l. p. 58.). Neque enim locum Siracid. (24, 8.) inter et nostrum tanta intercedit similitudo, vt verba Ioannis non possint non ex illo explicari; neque, quod minime omnes terrae incolae recte dici potuerint Iesum noluisse recipere, (quippe qui minime omnibus innotuerit,) eum poterit mouere, qui probe nouerit, partim orationis poeticae s. propius ad poeticam accedentis indolem omnem hoc secum ferre, vt interdum vniuerse enuncientur, quae, accuratius spectata, terminis circumscribi debeant angustioribus; partim eandem manere difficultatem (si quis hac in re difficultatem quandam deprehendi putauerit), verbis: οι ἰδιοι, de *omni gente Iudaeorum* intellectis. — Ceterum argutius quam verius nonnullos antiquorum interprr. in ϕησει nostra explicanda versatos esse videmus, quum vocab. τα ἰδια non modo Palaestina, sed etiam vrbis Hierosolymae (quippe quae in libris antiqui foederis haud raro appelletur ciuitas Iehovae aut regis magni) ipsiusque templi Hierosolymitani (coll. Matth. 21, 13.) itemque formulam οι ἰδιοι cum totius gentis Iudd. tum Leuitarum potissimum et sacerdotii Aaronici notionem complecti putarent. Cfr. Lampii comment. T. I. p. 339. sqq.

tatem eximiam, omnibus ad doctrinam Ieſu Meſſiae admittendam promtis paratisque per eundem conceſſam praedicantibus: ὁσοι δε ελαβον αυτον, εδωκεν αυτοις εξουσιαν τεκνα θεου γενεσθαι, τοις πιστευουσιν εις το ὀνομα αυτου. Quemadmodum enim nemo facile ignorat vim poteſtatemque verbi ſimplicis λαμβανειν, pariter atque compoſitum παραλαμβανειν in libris N. T. de admittente, recipiente, approbante rem hominemue dici ſoliti (cfr. Io. 3, 32. 33. 1 Io. 5, 9.); ita, qui tandem fuerint illi λαβοντες αυτον, formula enunciatur magis propria: τοις πιστ. εις το. ον αυτου: fidem ipſi (lucis auctori veriſſimo) eiusque doctrinae (diuinitus oriundae et veriſſimae) praebentibus. Primaria quippe totius ῥησεως ſententia vna manet eademque, ſiue ὀνομα αυτου ex Hebraiſmo (de quo vd. Vorſtius in philol. ſ. p. 349. ſqq. ed. Fiſcheri) pro ſimplici αυτον dictum putaueris (Matth. 1, 21. Actt. 1, 15. Io. 2, 23. etc.)[31] ſiue notionem auctoritatis et dignitatis ſubſtantiuo ὀνομα (vd. Actt. 3, 16. Philipp. 2, 19.) hoc ſenſu ſubſtitueris: fiduciam reponentibus in ſumma (diuina) eius auctoritate et

31) Conſtat, πιστευειν εις τινα ſcriptoribus N. T. idem eſſe, quod πιστευειν εν τινι, επι τινα, ſ. πιστ. τινι, fiduciam ſuam in aliquo reponere, i. e. certam alere perſuaſionem de veritate eorum, quae aliquis cum de rebus aliis, tum de ipſius perſona et dignitate protulerit, Io. 2, 23. 3, 15. 16. 18. 4, 39. coll. 42. 6, 29. coll. 30. 7, 5. 12, 36. (qui locus noſtro inprimis conferendus: εως το φως εχετε, πιστευετε εις το φως.) Vd. Vorſtius l. l. p. 670. ſqq.

dignitate.[32]) His dicitur dediſſe (conciliaſſe) εξουσιαν, τεκνα θεου γενεσθαι. Duplex potiſſimum prolata eſt ſubſtantiui εξουσια interpretatio, quum alii (vt B. Roſenmüllerus in ſcholl. T. II. p. 256. Zieglerus loco ſupra laud. n. 26. Semlerus l. l. p. 19. 20. Bolten in verſ. p. 6. Langius l. l. p. 59.) *praerogatiuam* ſ. *dignitatem* intelligerent: conciliauit iis dignitatem in eo verſantem, vt filii Dei euaderent, ſ. breuius: dignitatem filiorum Dei; alii *facultatem* potius ſ. *poteſtatem* hoc perficiendi, vt ipſi euaderent filii Dei (cfr. Oertelius l. l. Anmerkk. p. 9.). Priori quidem rationi quanquam haud parum patrocinari videtur, quod v. 13. eximia filiorum Dei dignitas praedicetur, et commendetur, opponendis iis, quae ad originem humanam atque vulgarem pertineant; nihil tamen inpedit, quo minus h. l. vtramque notionem alteri conciliemus;[33]) quum partim

32) Quum in iis, quae v. 1. prologi Io. usque ad v. 16. leguntur, nominis: υιος του θεου ſ. ιησους χριστος nulla omnino mentio fuerit iniecta, nolui in explicando voc. ονομα propriam *nominis* notionem cum nonnullis premere, vt Semlero (paraphr. p. 19. 20.) et Paulo, qui (comment. p. 102.) hoc modo interpret. in Beziehung auf die Benennung, die er (Jeſus) ſich beylegte, überzeugt werden, daſs er der Meſſias ſey. Illa autem formula nunc a Ioanne ad Chriſtum translata, ο Λογος, (quem ſub ονοματι intelligi voluit Lampius in comment. T. I. p. 345.) minime ita erat diuulgata, vt homines Ieſu Meſſiae fidem habentes vniuerſe dici poſſent in iis reponere fiduciam, quae nomine illo magnifico innoluerentur.

33) Auctores huius ſententiae habere mihi videor B. Morum in recitt. laudd. p. 7. et V. Paulum in comment. P. 101.

vſu loquendi (vd. Io. 5, 27. 1 Maccab. 1, 13. coll. Matth. 9, 8. Actt. 8, 19.) partim ipſa ſententiae inde prodeuntis ratione vtraque recte poſſit defendi. Quemadmodum enim ſummam hominis dignitatem in eo verſari recte adfirmamus, quod morum vitaeque probitate et honeſtate ad numinis diuini ſanctitatem propius accedat, ideoque propter eandem ſimilitudinem Deo ſe probatum dilectumque ſentiat; [34]) ita hominibus Chriſtianis, per Ieſu doctrinam edocendo emendatis, eo ipſo poteſtas facta eſt ad eximiam illam dignitatem adſpirandi. Ceterum, quo luculentius conſtat, Iudaeos, vana ductos ſuperbia, nomen των τεκνων του θεου ideo ſibi potiſſimum vindicaſſe, quod ab Abraamo ſtirpem ducerent, ideoque propter ipſos maiores Deo eſſent cari atque dilecti: eo lubentius largiamur neceſſe eſt, Ioannem verbis: εδωκεν — γενεσθαι, dignitatem eximiam atque felicitatem, omnibus, qui veram religionis doctrinam admittere voluerint (ſublato omni gentium diſcrimine) per Ieſum Chr. paratam ita laudaſſe, vt ad vanam illam Iudaeorum ſuperbiam, ſenſumque puriorem et ſublimiorem formulae: τεκνα του θεου, a Ieſu Meſſia ſubſtitutum reſpiceret. Accuratius ipſe oſtendit, quo ſenſu homines illi dicantur τεκνα του θεου euadere,

34) Vtrumque ineſſe formulae: τεκνα ſ. υιοι του θεου ad homines Chriſtianos hoc nomine dignos translatae, vix ac ne vix quidem multa eget demonſtratione. Vd. Matth. 5, 45. Io. 11, 52. Epheſſ. 5, 1.

v. 13. οι ουκ εξ αιματων, ουδε εκ θεληματος σαρκος, ουδε εκ θεληματος ανδρος, αλλ' εκ θεου εγεννηθησαν. In promtu est, enumerandis singulis, obseruanda insuper aliqua membrorum concinnitate (cuius exempla similia v. 1. et v. 10. cognouimus), more elocutionis poëticae, amplificari ac veluti sub sensus vocari hanc simplicem sententiam: eos, qui nunc appellentur τεκνα θεου minime ita ornari nomine praestantissimo, *vt de humanis ac vulgaribus agatur natalibus*, externam potius, quam internam hominis conditionem attinentibus, commodisque ac bonis terrestribus inde sequuturis. Verum, quanquam mihi vniuersam ῥησεως sententiam hoc modo constituenti omnino adsentientes habeo, quos contuli, interpretes; varie tamen de singulis partibus explicandis et inuicem distinguendis iudicatum video. Ac primum quidem geniti (prognati) illi dicuntur minime εξ αιματων. E pluribus, iisdemque diuersis significationibus, quas substantiuo αιμα cum apud profanos scriptores tum in libris N. T. subesse nouimus, duae potissimum in huius loci interpretatione recte constituenda in censum veniant necesse est, quae ad tropicum vocabuli vsum pertineant. Solet quippe *partim* ad exprimendam *totius hominis* notionem transferri, vt pars pro toto dicatur (cfr. Matth. 27, 4. versio LXX viralis Deuteron. 27, 25.) inprimis, vbi additur σαρξ, (Matth. 16, 17. Gall. 1, 16.) *partim*, effectu pro causa posito, de *origine* dici s. *stirpe humana*, ratione habita vel *matris* (cfr. Euripidis Phoenissae

v. 256.) vel *patris* (Homeri Ilias l. 6. v. 211. quem locum imitando expreſſiſſe videtur Plato in Sophiſta p. 98. ex edit. Fiſcheri) vel *vtriusque* (cfr. loca Plutarchi et Ioſephi laudata Kypkio in obſervatt. ſſ. T. I. p. 135.) vel *maiorum* (cfr. Homeri Odyſſea l. 4. v. 611. add. Virgilius Aen. l. 1. v. 19. Actt. 17, 26. εξ ενος αιματος etc.). [35]) Hinc ſponte

35) Cuius dicendi rationis cauſam idoneam facile nobis ſuppeditat ea vocabuli αιμα itemque hebraici דם ſignificatio, qua de ſanguine dicebatur (inprimis muliebri) ad liberos procreandos alendosque neceſſario. Cfr. Euripidis Ion v. 693. Leuiticus 12, 4. 20, 18. Neque eſt, quod, argumentis certis deficientibus, cum nonnullis VV. DD. (v. c. Vatablo in Criticis ſacris T. IV. p. 1542. Zieglero in obſervv. laudd. et V. Schleusnero in lexico N. T. T. I. p. 59.) coniiciamus, ad vocem αιμα interdum transiiſſe ſubſtantiui σπερμα vim ac poteſtatem. Quemadmodum enim idem V. Schleusnerus l. l. recte adfirmauit, loca V. T. quibus דם ſ. דמים de ipſo ſemine humano dictum reperiatur, omnino deſiderari; ita neque locus *Actorum* 17, 26. talem nos iubet coniecturam amplecti (quum aeque commoda prodeat et facilis ſententia, ſiue αιμα l. l. de *homine* acceperis: inſtituit Deus, vt ex *vno homine* velut parente ortae, originem ducentes, omnes mortalium gentes terrae regiones omnes incolerent, ſiue *de ipſa origine*, et *ſtirpe*: inſtituit Deus, vt omnes gentes originem ducentes ex vna eademque ſtirpe, ſ. e ſtirpe, proſapia, ad vnum, ſc. Adamum, pertinente etc.) neque reliqua exempla e profanis allata ſententiae certo comprobandae ſufficiunt; immo ita ſe habent, vt ad illam vel originis paternae et maternae, vel ſtirpis ſignificationem ſupra illuſtratam absque vlla difficultate poſſint referri (quanquam Euſtathius ad Hom. Il. l. 6. v. 211. verbis expreſſis adfirmauerit: αιματος αντι του σπερματος· Φησιν οι σοφοι, ως του σπερματος υλην του αιματος εχοντος). Adſentientem mihi habeo de loco Actt. aliter explicando Kypkium l. l.

intelligimus, formulae: ουκ εξ αιματων εγεννηθησαν, duplicem posse sensum substitui, alterum *angustiorem*, quo negetur, eos, qui nunc appellentur τεκνα του θεου, ideo vocari Dei filios, quod, secundum leges naturae, *a certis quibusdam hominibus* (*Abraamo, ceterisque Iudaeorum patriarchis*) *ducant originem;* [36]) alterum latiorem, quo *omnis omnino cogitatio originis humanae vulgaris* s. *naturalis* (quatenus ea legibus innititur physicis) a praestantissima filiorum Dei conditione remoueatur. [37]) Quanquam vtraque interpretatio ex illa supra notata vocabuli αιμα significatione tropica (originis s. stirpis humanae) recte elici potest, [38]) neque a

---

36) Cfr. Semleri paraphr. p. 21. sqq. Langii comment. laud. p. 60. Oertelius l. l. (Anmerkk. p. 10.) Similiter Kypkius in observv. ss. l. l. τους εξ αιματων γεννηθεντας eosdem appellari existimat, qui v. 11. nomine των ιδιων veniant, Christi consanguineos.

37) Cfr. Vatablus in Criticis sacris T. IV. p. 1542. Grotius ib. p. 1567. B. Rosenmüller in scholl. T. II. p. 257. Paulus in comment. p. 103.

38) Quo minus enim in explicanda phrasi: ουκ εξ αιματων εγεννηθησαν ad priorem respiciamus substantiui αιμα significationem tropicam, qua ipsum innuat hominem, impedit pluralis numerus αιματων, hoc quidem sensu, quantum memini, nunquam adhibitus. — Ceterum, quod Lampius in comment. T. I. p. 347. (nota m.) adfirmauit, numerum pluralem αιματων ad notionem originis humanae naturalis translatum iure meritoque inter Hebraismos N. T. referri, locis profanorum Graeciae scriptorum cum aliis, tum supra laudato (Eurip. Ion, v. 693. vbi Plurali: αιματων propriam in-

consilio orationis Ioanneae aliena videtur; posteriorem tamen priori ita praeferendam duco, vt sententiae, quae inde prodierit, primarias veluti partes assignandas existimem, neque tamen negare audeam, animo Ioannis haec scribentis insuper obuersatam esse vanam Iudaeorum, filios Dei sese iactantium, superbiam. [39]) Ad quam sententiam probandam quibusnam rationibus praecipuis perductus fuerim, luculentius ea docebunt, quae de sensu verborum seqq. et nexu probabili, quo nostris cohaereant, paucis disputare constitui. Negat porro Ioannes (accuratius per μερισμον persequuturus, quae modo voc. αιματων vniuerse enunciauerat), eos, de quibus nunc agatur, Dei filios genitos esse vel εκ θελημματος σαρκος, vel εκ θελημματος ανδρος. Vocabulum σαρξ, quum in libris N. T. saepissime inseruiat cum omni corpori humano, eiusque naturae significandae, ex vsu hebr. בשר (cfr. Romm. 8, 3. Hebrr. 5, 14.) tum notando sensuum et cupiditatum, quae

---

esse videmus sanguinis materni notionem, cui originem debeat ea, de qua nunc agimus, tropica) manifesto repugnat.

39) Paulo argutius nonnulli (vt Ludov. Capellus in Criticis sacris T. IV. p. 1561.) ad hebraicum דמים de sanguine circumcisionis adhibitum (Exod. 4, 25. sqq.) ita respiciunt, vt phrasi: ουκ εξ αιματων εγεννηθησαν partim generationis propriae (physicae, naturalis) partim inpropriae s. figuratae Iudaeorum, (ad circumcisionem pertinentis, cuius vi et auctoritate illi participes redditi fuerint foederis diuini), notionem a conditione filiorum Dei praestantissima remoueri existiment.

per ipsam corporis naturam in animo humano excitari soleant, inperio (Matth. 26, 41. Romm. 8, 1.) nemini facile mirum poterit videri, quod plerique ῥήσεως nostrae interpretes formulam θελημα σαρκος de *naturali corporis libidine* hominem ad sobolem procreandam ferente acceperint, apte comparantes locum Ephess. 2, 3. nisi quod l. l. verbis: ποιουντες τα θελημματα της σαρκος aliquid vituperii a nostro loco alieni subesse videmus.[40]) Paullo aliter de sensu verborum B. Morum (in recitatt. p. 8.) iudicasse intelligo, vocabulum σαρξ *de ipso* potius *homine*, *tanquam creatura inbecilli* (cfr. Io. 3, 6. 17,

---

40) Commemoratam verborum interpretationem praeter alios amplecti video Ludov. Cappellum in Criticis sacris T. IV. p. 1561. Grotium ib. p. 1568. Langium l. l. p. 60. S. V. Rosenmüllerum in scholl. T. II. p. 257. Zieglerum l. l. B. Herderum, cui hanc debemus egregiam (quanquam paulo liberiorem) commatis nostri versionem: dies ist ein Adel, der nicht im Blut von hohen Ahnen stammt; wie könnt' ein Trieb der Sinne, wenn der Mann sich einem Weibe paart, ein Göttliches erzeugen? Gottes Sinn, Gottähnlichkeit gebührt den Glaubenden, u. s. w. Fuerunt praeterea, qui eandem interpretationem limitibus angustioribus ita circumscriberent, vt eam potissimum intelligi iuberent corporis libidinem, cui originem debeant liberi *minime iusti matrimonii legibus* nati. Cfr. Oertelius l. l. p. 10. Heumannus l. l. p. 24. sqq. qui Ioannem (iusto argutius, opinor) verbis ουδε εκ θελ. σαρκος — ανδρος partim ad eos respicere putat Abraami posteros, qui originem duxerint ab Ismaele minime iusti matrimonii legibus nato, partim ad eos, qui stirpem referant ad Isaacum, Abraami (mariti, ανδρος, Io. 5, 16. sqq.) prolem legitimam.

2.) θελημα vero *de arbitrio et propoſito* potius, quam de libidine, et ανηρ de homine accipientem, ideoque totius phraſeos: ουδε εκ θελ. — ανδρος ſenſum ita declarantem: minime arbitrio et propoſito hominis inbecillis, ſ. non ex operatione humana, ſed diuina operatione facti ſunt liberi Dei. Ab eadem ſententia non alienum video Vorſtium in philol. S. p. 124. ed. Fiſcher. Noua denique eiusdem ῥησεως interpretatio nuper prolata eſt a V. Paulo in comment. laud. p. 103. qui θελημα σαρκος ad *conſilium ſecundas ineundi nuptias*, θελ. ανδρος vero ad *adoptionem* (quippe quae illo tempore a mariti conſilio et voluntate tota penderet) voluit referri. [41]) Verum, quemadmodum ea, quae a Paulo l. l. disputata legimus, omnino ita ſe habent, vt iure quidem meritoque eiusdem ingenii acumen admiremur, argumenta vero ſatis perſpicua et certa, ex vſu loquendi recepto petita, deſideremus; ita verebar, ne, probanda B. Mori interpretatione, loco Ioanneo aliquam illaturus eſſem tautologiam obſcuritati iunctam. Accedit, quod vſus loquendi ſcriptorum N. T. demonſtrat, notionem hominis, creaturae inbecillis, non tam vocibus: σαρξ και ανηρ, quam: σαρξ και αιμα, iungendis, efferri ſolere. Proinde olim ipſe

41) Praeeuntem habuit in explicandis vbb. ουδε εκ θελ. ανδρος Grotium (in Criticis ſacris T. IV. p. 1568.) haec differentem: „e voluntate viri geniti dicuntur, qui non naturali „ſexuum commixtione, ſed adoptione aut inſtitutione fiunt „hominis alicuius filii.“

fueram eorum rationem partim ſimplicitate et perſpicuitate, partim rationibus philologicis haud parum mihi commendatam amplexus, qui θελ. σαρκος de corporis libidine accipiunt; quanquam minime ignorabam, ſententiam laudatam eo potiſſimum premi incommodo, quod eadem notio verbis ſequentibus: ουδε εκ θελ. ανδρος absque idonea ratione (vel logica vel poëtica) repetita appareat. Attamen, quum poſtea intellexiſſem, in libris N. T. duo deprehendi loca (2 Petri 2, 10. ep. Iudae v. 7.) [42]) quibus et poſſit et debeat rarior quaedam vindicari ſubſtantiui σαρξ ſignificatio, qua *foeminam* innuat; ipſa, quae commate noſtro obtinet, orationis ſeries, iterum iterumque perluſtrata, eo tandem me perduxit, vt locis laudatis, rariorem illum dicendi vſum confirmantibus, noſtrum putarem addendum, omnemque ῥησιν, ſua-

---

42) Quanquam probe noui, verba 2 Petri 2, 10. τους οπισω σαρκος εν επιθυμια μιασμου πορευομενους per ſe ſpectata minime nos omnino impedire, quo minus σαρξ de indole praua (ſ. libidine) intelligamus: (qui pranam ſectentur libidinem, cupiditatibus inpuris ducti;) alterum tamen locum Iudae v. 7. (αι — εκπορνευσασαι και απελθουσαι οπισω σαρκος ετερας, quae non poſſunt niſi de foeminarum ſectatoribus libidinoſis intelligi) ita plane comparatum vidi, vt ipſa, quae vtrumque locum intercedat, ſimilitudo Petrini quoque effati eandem exigat interpretationem. Cuius ſignificationis rarioris primam originem ad illam nobiliſſimam de foemina e viri corpore creata narrationem, quae legitur Geneſ. c. 1. v. 21—25. (coll. Epheſſ. 5, 28. ſqq.) haud inprobabiliter referre mihi videor.

dentibus ita oppositionis legibus (haud obscure indicatae particula ουδε bis repetita) hoc modo verterem: *qui minime vi sanguinis, neque foemina, neque viro ita volente, sed, Deo efficiente, geniti sunt.* [43]) In promtu est, vbb. ουδε εκ θελ. σαρκος — ανδρος sic intellecta a prioribus ουκ εξ αιματων ita differre, vt, quae illis vniuerse fuerit indicata, *origo humana naturalis*, eadem nunc clarius significetur, ac definitius, addita potissimum notione *arbitrii* s. *consilii vel foeminae, vel viri*, (i. e. omnino *humani*) ad ea perficienda, quae verbis: εκ θεου εγεννηθησαν commemorentur, minime sufficientis. [44]) — Remotis igitur omnibus quae ad

43) Postquam haec litteris consignaueram, eandem vidi substant. σαρξ interpretationem iampridem Augustino probatam (in tractatu secundo in ev. Io.). Neque sententiae prolatae omnino aduersari videtur B. Rosenmüllerus (etsi notionem foeminae non tam vocabulo σαρξ per se spectato, quam vniuersae totius loci sententiae inesse voluerit). Cfr. Ei. scholia T. II. p. 257. vbi haec legimus: „phrases εξ „αιματων, εκ θελ. σαρκος — ανδρος nihil valde diuersum sig„nificant, nisi distinguere velis haec duo: foeminae — viri „voluntate coire.“ Recentius quoque eam probauit S. V. *Kuinoel* in commentario ad h. l.

44) Etenim, ni omnia me fallunt, nostro quoque commati eiusmodi gradationis oratoriae s. poëticae vestigia luculentissima haerent inpressa, quali Ioannem in prologo nostro saepius (v. 1. v. 9. 10. 11. v. 14.) vsum videmus. Commemorationi quippe sanguinis (conditionum legumque creationis physicarum) notionem arbitrii, consilii humani, itemque mentioni foeminae (partis inbecillioris sensuumque inperio magis obnoxiae) voce σαρκος iniectae notionem viri (partis firmioris,

originem humanam et vulgaria pertineant natalia, sermonis brevitate vsus summae iuncta sublimitati, sententiam eloquitur grauissimam: εκ θεου εγεννηθησαν, e Deo veluti nati sunt, i. e. per doctrinam diuinitus oriundam, cui fidem praebuerunt, auctore Christo, ita sunt rectius edocti et emendati, vt Deo (tanquam patri) euaderent similes eidemque cari et dilecti. Cuius phraseos interpretem optimum ipsum Ioannem exstitisse videmus, epist. 1. c. 3. et evang. c. 3. inde a v. 3.

Addit scriptor v. 14. hoc beneficium praestantissimum v. 13. praedicatum, quod auctor lucis verissimae omnibus eum recte agnoscentibus praestiterit, generi humano eo ipso contigisse, quod λογος ille (ab initio rerum apud Deum versatus) homo fieret, amore erga homines verissimo abundans: καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Vocabulum σαρξ, quod supra p. 37. haud raro de toto dici corpore humano vidimus, praeterea partim integram naturam innuit humanam (ad Romm. 1, 3. 9, 5.) partim de homine ipso adhibetur (Io. ev. 17, 2. ad Romm. 3, 20. quo sensu hebraicum בשר Ge-

illique inperantis, εικονος και δοξης θεου υπαρχοντος, 1 Corr. 11, 7.) ita succedere iubet, vt lectores sensim sensimque procedendo ad summam infinitamque Dei originisque diuinae ideam attollantur atque excitentur.

neſ. 6, 12. et alibi occurrit.) Inde factum eſt, vt verba: και ο λογος σαρξ εγενετο ab aliis verterentur: λογος *indutus eſt corpore* (vnde colligerent, λογον ſecundum doctrinam Ioannis *animi* loco corpori iunctum eſſe), ab aliis: λογος *aſſumſit naturam humanam*, ab aliis denique ſimpliciter: λογος *homo factus eſt.* Quanquam haec poſtrema ſententia ab ea, quam ſecundo loco poſuimus, verbis potius differt, quam re ipſa, ſiquidem, ſi λογος *homo* factus eſt, ſponte hinc ſequitur, eum *naturam* induiſſe *humanam*; accuratius tamen verba Ioannea explicari putauerim, ſi vocab. σαρξ de notione *hominis* intellectum fuerit. Quodſi enim ſcriptor notionem potiſſimum *abſtractam* vel corporis, vel totius naturae humanae teneri voluiſſet, non tam dicturus fuiſſet: εγενετο σαρξ, quam: ηλθεν εν σαρκι, ſ. μετεσχε σαρκος, ſ. εφανερωθη εν σαρκι (cfr. 1 Io. 4, 2. 1 Timoth. 3, 16. Hebrr. 2, 14.)[45])

45) Veriſſime monuit V. *Paulus* in comment. ad h. l. Ioannem non ſubtilius *definire*, vtrum λογος animi humani vices in corpore Chriſti geſſerit, an praeter naturam diuinam animus quoque humanus in perſona Chriſti fuerit? Quo minus vero exiſtimem, Ioannem του λογου ſibi cogitaſſe animi humani loco cum corpore Ieſu humano coniunctum, id ipſum inpedit, quod ex mea quidem perſuaſione (nota 1. breuiter declarata) vocabulum λογος per ſe ſpectatum *individuum* aliquod (concretum) diuinum innuat, neque hic λογος recte dici potuerit σαρξ *factus eſſe*, ſi vocabulo σαρξ notio anguſtior *corporis* humani tribuenda eſſet. De λογω, qualem Ioannes intellexit, praedicari potius debebat, eum eſſe *hominem* factum.

Hic igitur λογος, homo factus, εσκηνωσεν εν ημιν. Recte iam alii intellexerunt interpretes, verbum σκηνουν (proprie: in tentoriis verſari ſ. habitare) et bonis Graeciae auctoribus ſaepius de iis dici, qui eodem contubernio vtantur, atque omnino familiariter viuant (cfr. Raphelii adnotatt. in N. T. philologicae ex Xenophonte collectae p. 120. ſqq.) et in vſu loquendi ſacro notionem habitandi, commorandi, verſandi exprimere, cfr. Verſio LXX. libri Iudicum 5,17. Apocal. 12, 12. εν ἡμῖν i. q. *inter nos* Luc. 1, 2. 22, 24. [46]) Quare vero Ioannes de λογω homine facto, inter homines (in terra) verſato vocabulum rarius σκηνουν adhibuerit, facile, opinor, ex ipſa eius poteſtate propria intelligi poterit. Quemadmodum enim, qui in tentoriis verſantur, minime ibi ſedem habent fixam et domicilium perpetuum; ita λογος, qui ab initio rerum omnium apud Deum verſatus eſt, et coelos potius, quam terram patriam habuit veriſſimam, in terram deſcendit, vt *per breue temporis ſpatium* ſedem in ea, veluti in tentorio figeret, et familiariter cum hominibus verſaretur, in coelos, patriam veriſſimam, mox rediturus. Similiter Paulo

---

46) Parum recte patres quidam eccleſiae, ſignificationem praepoſitionis vſitatiſſimam et primam ſequuti, verterunt: *in nobis* (*in natura humana*) *habitauit*. Quomodo enim Ioannes notionem *naturae humanae*, quam λογος aſſumſit vocula ἡμῖν exprimere potuit, niſi admodum obſcure et ambigue dicere, atque vſui loquendi vim inferre voluiſſet?

Apostolo, spem certissimam atque laetissimam vitae beatae post mortem futurae declaranti, corpus humanum σκηνος terrestre dicitur 2 Corr. 5, 1. 4. Nimium vero argutati sunt ii interpretes, qui Ioannem h. l. ad *festum tabernaculorum* alluisse censuerunt (de quo cfr. Iosephus in antiquitt. Iudd. 3, 10.), quatenus λογος corpore humano indutus, Iesus Christus, nullam sedem fixam in terra haberet, et permulta ferret vitae terrestris incommoda, quemadmodum Iudaei illis diebus festis, per breue tempus, sub tentoriis exstructis viuerent, neque domicilio certo vterentur. Etenim, vt taceam, vitam externam aerumnosam, quam filius Dei in terra perageret, parum recte comparari potuisse vitae hilari et laetae, quam Iudaei sub illis tentoriis transigerent, omnino non video, quorsum eiusmodi allusio longius petita in subsidium vocetur, quum alia ratio (vt supra vidimus) eademque *facilior* suppetat, quae Ioannem mouerit, vt verbo εσκηνωσεν vteretur. Quae quidem causa posterior iis quoque aduersatur, qui Ioannem ad *tabernaculum sacrum*, quod Deus Israëlitas in deserto versantes exstruere iussisset (Exod. 25, 26.) respexisse existimant, siquidem Christus, imago Dei perfectissima, auctor sapientiae et intelligentiae verae praestantissimus, expiator peccatorum humanorum aeternus, similis esset illi tabernaculo, in quo Deus singulari modo maiestatem suam reuelaret, oracula ederentur diuina, atque peccata populi quotannis per sacerdotem summum solerent

expiari. [47]) Quanquam eiusmodi comparatio inſtitui omnino *potuit*, vix tamen putauerim, ſcriptorem haec omnia vna voce σκηνουν complecti voluiſſe, inprimis, quum vocabulum εσκηνωσε non tam de comparatione Chriſti cum tabernaculo, quam de Chriſto in tabernaculo veluti habitante cogitari iubeat. Neque ad partes eorum accedere poſſum, quibus Ioannes de vſu loquendi Rabbinico cogitaſſe videtur, quo שְׁכִינָה (habitaculum) appellaretur, quicquid vel Deum, vel λογον illum, qualem Iudaei Alexandrini dicerent, praeſentem oſtenderet, ſiue eſſet nubes illa inſignis, de qua Ex. 24, 17. et alibi ſermo eſt, ſiue angelus, ſiue alia res, quae ſymbolo aut reuelationi vel Iehouae vel λογου inſeruiret. (Cfr. *Danzii* comment. de Schechina ad Io. 14, 23. in Meuſchenii Nouo Teſtam. ex Talmude illuſtrato p. 701. ſeqq.) [48]). In his V. *Paulum* eſſe video, ſententiam Apoſtoli in comment. ad h. l. his verbis declarantem: der λογος hat ſich eine Schechinah gemacht aus dem Menſchenkörper. Etſi haud negauerim, illum loquendi vſum Ioanni potuiſſe innoteſcere; ipſa tamen

---

47) Cfr. H. A. *Zeibich* duae commentationes de tabernaculis veterum ad illuſtrandum locum Io. 1, 14. Gerae 1758. 59. 4.

48) Veriſſimum eſt, ipſum λογον propterea, quod omnes virtutes diuinas complectatur, atque imago ſit Dei perfectiſſima, ex eodem loquendi vſu *Schechinah* appellari. Cfr. *Bertholdti* liber: chriſtologia Iudaeorum Ieſu Apoſtolorumque aetate, Erlangae, 1811. 8. p. 120. ſq.

huius ſententiae natura efflagitaſſet, vt Ioannes ſic potius ſcriberet: εσκηνωσεν εν σαρκι. Sequamur ſimpliciorem verbi interpretationem ſupra propoſitam. Quum igitur λογος homo factus fuerit, et inter homines aliquamdiu domicilium habuerit, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν ἀυτοῦ, vidimus quoque (conſpeximus, experiundo cognouimus) eius maieſtatem. Voculae quippe και h. l. nolim cum B. Zieglero (in obſeruationibus ſupra nota 26. laudatis) vim aduerſatiuam tribuere, ita vt maieſtas Chriſti ſtatui eius humiliori opponatur, in quo λογος tanquam homo verſatus fuerit (etſi interdum eam vim obtineat v. c. Io. ev. 6, 70); immo ſimpliciter declarat, quid ex eo ſequatur, quod λογος inter homines ſedem habuerit: ideoque vidimus eius maieſtatem. Conſulto autem Ioannes id potiſſimum vrget, λογον σαρκι indutum cum hominibus familiariter eſſe verſatum, ita vt accurate eum cognoſcere poſſent, ratione eorum habita, qui perperam negarent, Ieſum Chriſtum vero corpore humano eſſe gauiſum. [49]) Subſtantiui δοξα vim ac poteſta-

---

49) Quanquam finis euangelii *primarius* non poteſt ad Docetas referri inpugnandos, recte tamen praeter alios *Bertholdtus* quoque nuper conceſſit, Ioannem interdum ad placita varia Docetiſmi reſpexiſſe. Cfr. Bertholdt hiſtoriſch-kritiſche Einleitung in ſämmtliche Schriften des alten und neuen Teſtaments, dritter Theil, Erlangen, 1813. p. 1318. Ceterum de loco noſtro cfr. commentatio ad Io. 1, 14. pertinens, quae Gottingae ad ferias Chriſti natalitias celebrandas prodiit (nomine auctoris non indicato) 1736. 4. p. X, XI.

tem nonnulli quidem huius effati interpretes terminis anguſtioribus circumſcribunt, quum alii quidem (vt *Bolten* in notis verſioni ſubiectis ad h. l.) ſolam intelligant facultatem Ieſu Chriſti, facta edendi inſignia, alii ſcriptorem ad illud phaenomenon inſigne reſpexiſſe cenſeant, quo dignitas Chriſti in ſummo montis faſtigio (cfr. Matth. c. 17.) declararetur.[50] Quum vero dignitas λογου corpore humano induti aliis quoque argumentis permultis conſpicua fuerit reddita, et verba ſequentia πληρης χαριτος και αληθειας doceant, Ioannem h. l. vniuerſe beneficia praedicaſſe praeſtantiſſima, quae hominibus per Chriſtum contigerint; malim hanc δοξαν omnino ad omnia referre dignitatis Ieſu Chriſti eiusque originis coeleſtis documenta, quae ſermones eius diuini, facta praeclara et inſignia, fata denique extraordinaria ſuppeditauerint. Quemadmodum δοξα (hebr. כָּבוֹד) haud raro omnes *Dei* virtutes, cultu pio et veneratione digniſſimas (i. e. maieſtatem Dei patris) innuit, ita h. l. pariter atque c. 2. v. 11. ad filium Dei transfertur, imaginem Dei patris perfectiſſimam. Cfr. c. 11. v. 40. vbi Ieſus ipſe profitetur, Lazarum in vitam reuocaturus, fore, vt homines videant την δοξαν του θεου.[51]).

---

50) Cfr. *Zeibich* commentatio ſecunda de tabernaculis veterum ſupra nota 47. laudata p. 15.

51) Nihil igitur eſt, quod nos iubeat locum Exodi 40, 34. in auxilium vocare, vbi nubes tentorium ſacrum obtexiſſe, atque maieſtas (כבוד) Iehouae habitaculum inpleuiſſe dicitur.

Hanc, ait, λογου maiestatem accurate potuimus cognoscere. Verbum quippe θεαθαι minime simplicem tantum inuoluit conspiciendi notionem, sed de eo maxime valet, qui rem hominemue cum voluptate et admiratione spectet, accurate consideret, omni ex parte contemplétur, ita vt accuratissime cognoscere possit. Matth. 11, 7. Proinde in I. Ioannis epist. C. 1. V. 1. verba coniunguntur: ἑωράκαμεν et ἐθεασάμεθα. Accuratius docet Ioannes, qualis et quanta haec maiestas fuerit, addendis verbis: δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς. Adiectiuum μονογενης (quod h. l. ad substantiuum pertinere υἱοῦ tacite supplendum, res ipsa facile docet, cf. c. 3. v. 18.), proprie: filius, quem pater vnicum genuit (Luc. 7, 12), haud raro in versione Alexandrina vim exprimit hebraici יָחִיד: carus, dilectus, siquidem filii, quos patres habent vnicos, praecipue amari ac diligi solent. cfr. liber iudicum 11, 34. Amosi c. 8. v. 10. LXX. Constat item, Iesum in libris N. T. filium Dei propterea appellari, quod Deo coniunctissimus sit, imaginem Dei perfectissimam referat, singulari modo a Deo diligatur. Quodsi phrasis: υιος μονογενης ad Iesum transfertur (quem non potuisse sensu vulgari humano genitum a Deo appellari, facile quiuis sentiet), haud dubie docetur, praeter Iesum esse neminem, qui *eodem plane modo* Deo sit coniunctus ac dilectus, eademque dignitate et praestantia gaudeat, siue Christum *eo sensu*, qui in ipsum *solum* cadat, di-

cendum esse filium Dei. 52) Cfr. inprimis capitis nostri v. 18. 3, 16. 18, Epist. I. Io. 4, 9. Verba, quae adduntur παρὰ πατρὸς verissime viderunt alii interpretes facilius referri ad μονογενοὺς, quam ad Substantiuum remotius δοξαν (maiestatem ei a patre concessam), atque post voc. πατρος non supplendum esse οντος: filii vnigeniti a patre oriundi (quum Ioannes, huius sententiae declarandae causa, scripturus potius fuisset μονογενους του πατρος vel τω πατρι), sed participium ἀπεσταλμένου s. ἐξελθόντος: filii vnigeniti a patre legati. (Marci 3, 21) Cfr. V. *Kuinoel* in comment. ad h. l. Voculam denique ὡς plurimi quidem interpretes h. l. veritati et certitudini rei significandae inseruire existimant, eo prouocantes, quod hebr. כְּ haud raro eandem vim habeat, neque loca profanorum Graeciae scriptorum desiderentur, qui eundem particulae vsum fecerint. Cfr. Raphelius in notis Xenophonteis ad N. T. p. 125.

---

52) V. *Paulus* in comment. ad h. l. potestatem vocabuli μονογενης ita explicari iubet, vt non tam significet τον μονον γεννωμενον, vnigenitum, quam τον μονον γενομενον: vnicum in suo genere. Quanquam ego quoque mihi persuasissimum habeo, Iesum h. l. tanquam vnicum (aliis omnibus praeter Deum existentibus multum praestantem) praedicari, nolim tamen notionem *nascendi*, quae in verbo γινεσθαι latet, negligere, quum partim vocab. μονογενης saepius in eiusmodi orationis nexu occurrat, qui notionem nascendi omnino respici iubeat (v. c. Lucae 7, 12. 9, 38.) partim v. 18. (coll. v. 1. 2.) doceat, Ioannem hanc vocem vsurpantem profecto de origine quoque Christi diuina singulari cogitasse.

Malim ei h. l. ſimpliciter vim explicandi tribuere (2 Corinthh. 5, 19): vidimus eius maieſtatem, qualis eſt (eſſe debet) maieſtas filii vnigeniti a patre miſſi, quo ſenſu B. Lutherus bene vertit: eine Herrlichkeit, *als* des eingebornen Sohnes vom Vater (i. e. wie ſie bey dem eingebornen Sohne, vom Vater uns geſandt, nothwendig ſtatt finden muſste). De verbis poſtremis πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας diſſentiunt interpretes, quo pertineant. Quod primum quidem ipſam phraſin χαρις και αληθεια attinet, dudum probe intellectum eſt, lucem ei adfundendam eſſe ex vſu formulae hebraicae חֶסֶד וְאֱמֶת, quae in litteris ſacris V. T. admodum frequenter adhibetur, ita vt vel vtrumque vocabulum ſeparatim ſpectari et explicari debeat (v. c. Geneſ. 24, 49: ſi *benignitatem et fauorem* exhibere volueritis, Ex. 34, 6: Deus *gratia* inſignis *et veritate*, 2 Samuel. 2, 6. vbi *gratiam et fidem* innuit) vel, tanquam εν δια δυοιν poſitum, de *beneuolentia* intelligantur *veriſſima*, quae non verbis tantum, ſed etiam re ipſa (facto) declaretur (cfr. Pſ. 25, 10. 40, 12.) [53]) Lectu digniſſima ſunt, quae de hoc loquendi vſu in commentatione in locum ev. Io. 1, 17. diſputata leguntur, quae Ha-

53) Conſtat, hebr. אֱמֶת non vno dici ſenſu, de certitudine (Ieſ. 2, 12.) de veritate (Geneſ. 42, 16.) de fide (Ioſ. 24, 24.) et ſinceritate (1 Sam. 12, 24.) de beneuolentia et benignitate (Eſther 9, 30.). Graecum vero αληθεια apud

lis, 1791. ad memoriam Festi natiuitatis Iesu Christi celebrandam prodiit (nomine auctoris non indicato) p. XI. seqq. Iam vero de eo maxime quaesitum est, quonam haec integra ρησις: πληρης etc. referri debeat? Plures quippe interpretes Ioanni haec scribenti anacoluthon excidisse iudicant, et vocem πληρης vel ad substantiuum δοξαν referunt (pro: πληρην etc. s. ητις ην πληρης etc.): vidimus eius maiestatem, beneficiis verissimis plenam, 54) vel cum Genitiuo μονογενους propius connectunt, tanquam si scriptum fuerit: πληρους s. ὁς ην πληρης etc. Quanquam Ioanni ανακολουθα et ανταποδοτα minime sunt incognita (quod praeter alios bene docuit *Schulzius*: der schriftstellerische Werth und Charakter des Iohannes, Weissenfels und Leipzig, 1803. 8. p. 105. seqq.) ex mea tamen persuasione praecepta hermeneutices prohibent, quo minus ad eiusmodi anomaliam confugiamu s, nisi ratio in promtu fuerit idonea. Licet vero eam,

---

Ioannem partim omnino innuit, quae vera sunt et certa (euang. 5, 33. 8, 44.) partim sensu angustiori de doctrina religionis vera, de cognitione doctrinae verae, de cultu Dei vero, doctrinae illi accommodato dicitur (v. c. euang. 3, 21. 4, 23. 17, 17. 19. et alibi). חסד vero semper de amore, beneuolentia, gratia, inprimis de gratia et fauore Dei, itemque de documentis fauoris (Genes. 32, 11.) vsurpatur, soletque vox graeca χαρις in N. T. et ipsum gratiae s. fauoris sensum innuere, et beneficia, gratiae documenta (Actt. 11, 23. 1 Petri 4, 10. aliisque locis innumeris).

54) Cfr. B. *Noesselti* opuscula ad interpretationem sacrarum scripturarum fascic. II. p. 179. sq.

quae hic apparet, difficultatem grammaticam facilius tollere, si modo verba πληρης etc. ad subiectum remotius ο λογος pertinere concesserimus, et illa: και εθεασαμεθα — πατρος in parenthesi esse posita. Maluerunt Erasmus atque V. Paulus (in comment. ad h. l.) verba: πληρης χαριτος και αληθειας a commate 14. prorsus seiungere, et ad initium versus sequentis referre, ita vt Ioannes ad etymon nominis proprii ιωαννης (ex hebr. חָנַן: gratiosus fuit, et יהוה deriuandi) respexisse putaretur: Ioannes (baptista), qui vere fuit Ioannes, vir gratiae verissimae plenus, s. gratia Dei verissima gaudens, de eo testatus est etc. Cui sententiae quo minus calculum addam, his potissimum inpedior argumentis: a) verba v. 16. εκ του πληρωματος αυτου etc. quae manifesto ad illa: πληρης χαριτος etc. respiciunt, vsus loquendi N. T. docet de *Christo* intelligenda esse (ad Romm. 15, 29. Ephess. 1, 23. 4, 13. Colloss. 1, 19. 2, 9.) b) verba v. 17. ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ εγενετο eadem perspicuitate docent, v. 14. Iesum Christum dici πληρην χαριτος etc. c) tota phrasis: πληρης χαριτος και αληθειας per se spectata tam magnifica est, vt Christo potius, quam Ioanni baptistae conueniat, d.) si evangelista hanc ρησιν ad Ioannem baptistam referri voluisset, hac ratione potius (vt scite monuit Kuinoelius in comment. ad h. l.) versum 15. exorsus fuisset: Ιωαννης πληρης χαριτος και αληθειας μαρτυρει περι αυτου etc. (Luc. 4, 1. Actt. 6, 3.) Sententia totius commatis haec est: Etenim λογος homo

factus est, et inter nos aliquamdiu sedem habuit (quare maiestatem eius vidimus, qualis esse debet maiestas filii vnigeniti a patre missi) plenus beneuolentiae erga nos verissimae siue: abundans beneficiis (diuinis), veritate potissimum diuina. Πλήρης τινος in N. T. saepenumero dicitur, qui aliqua re abundat, eiusue fontem vberrimum et auctorem se ostendit. Luc. 4, 1. Actt. 6, 8. Cfr. quae de his verbis recte intelligendis obseruata sunt in commentatione *Semmleri:* carmina quaedam apostolica, quibus euidentissime demonstratur, seruatorem Nostrum Iesum Christum esse verum Deum et verum hominem, Halae, 1772. 4. p. 28. sq. Quanquam discrimen apparet exiguum, siue verba χαριτος και αληθειας h. l. tanquam εν δια δυοιν spectauerimus, siue vocem χαρις vniuerse de beneficiis summis per Christum generi humano praestitis, αληθεια vero de eo potissimum beneficio, quod doctrina diuina nobis tradita contineatur, interpretati fuerimus (cfr. supra nota 53); comparatio tamen huius commatis cum v. 17. (vbi verba χαρις και αληθεια propter versum 18. verissime hoc sensu posteriori intelliguntur) omnino suadere videtur, vt altera interpretatio praeferatur.

Commentatio Secunda.

De aliis quibusdum locis euangelii Ioannei c. 7. c. 8. c. 13. obuiis disseritur *)

*) Edideram hanc commentationem Lipsiae a. MDCCCVIII. orationem sollennem indicaturus, qua munus Professoris Theologiae Extraordinarii in Academia Lipsiensi auspicaturus essem.

Quanquam dignitas atque neceſſitas interpretationis logicae, quae ſcriptori explicando lucem idoneam eo potiſſimum adfundere ſtudet, quod de conſilio videat, cui ſatisfacere voluerit, atque de tota orationis ſerie, partim ab iis omnibus, qui artem hermeneuticam praeceptis illuſtrarunt, tam ſtudioſe commendata eſt, partim interpretum quorundam exemplis praeſtantiſſimis tam egregie comprobata, vt neque aliorum, neque mea laude et commendatione copioſa amplius indigeat; haud raro tamen experiundo cognouiſſe mihi videor, etiamnum haud pauca exſtare librorum N. T. effata, quae, etſi multa eademque admodum diuerſa explicandi tentamina ſubierint, tamen interpretationis logicae ope ac beneficio noua quadam luce ita poſſint colluſtrari, vt explicatio inde prodeat facilior. Cuius quidem perſuaſionis argumenta atque teſtimonia plura nuperrime mihi contigerunt, euangelium Ioanneum lectionibus explicanti academicis. Quo diutius enim praeſtantiſſimam huius euangelii indolem intueor, eo certius intelligo, in explicandis iis Ieſu Chriſti ſermonibus, quos

Ioannes enarrauerit, interpretationis logicae praecipuam esse vim et grauitatem. Videmus quippe illas Seruatoris orationes apud Ioannem obuias partim copia praecipua (nullis facile lacunis interrupta) enarratas, partim illius commatum, membrorum, verborumque paralleliſmi, qui interpreti logico haud raro viam monſtrat, quam inire debeat, tutiſſimam, vſum facientes praecipue frequentem et aſſiduum. Proinde, quum mihi nuperrime eiusmodi ſcribendi prouincia contigerit, quae mihi opportunitatem idoneam ſuppeditaret, argumentum exegeticum libello pertractandi academico, de locis quibusdam euangelii Ioannei, quae mihi quidem, logica potiſſimum interpretatione duce et auctore, aliter, quam vulgo fieri ſolet, intelligenda viſa ſunt, perſuaſionem meam, ea, qua par eſt, modeſtia, palam proferre conſtitui, aliorumque interpretum iudiciis acutiſſimis ſubiicere.

Io. 7, 16. ſq.

Quum Ieſus, inſtante Iudaeorum feſto a tabernaculis figendis appellato Hieroſolymas profectus, aliquamdiu in occulto latuiſſet, hominesque obſeruaſſet varia de ipſo proferentes iudicia, (aliis doctorem bonum, aliis fraudatorem ipſum appellantibus,) tandem inter medios dies feſtos templum adiit, ibique pro more ſuo palam docuit, libertate vſus nobili atque ingenua. Pluribus au-

tem Iudaeorum, qui in templo erant congregati, haud parum mirantibus, quod Ieſum, qui nullius doctoris Rabbinici ſcholas adierit theologicas, egregie tamen de rebus ad religionem et ſcripturam ſacram pertinentibus disputantem audirent, illamque admirationem ſermone declarantibus, Ieſus anſam inde ducit et opportunitatem idoneam, de vera doctrinae ſuae origine eidemque iuncta auctoritate Iudaeos edocendi, ita pergens v. 16. 17. ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἐϛιν ἐμὴ, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με. ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν, γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς, πότερον ἐκ τοῦ θεοῦ ἐϛιν, ἢ ἐγὼ ἀπ' ἐμαυτοῦ λαλῶ. Verba huius effati ſingula quum ſatis expedita appareant, non tam in ſingulis copioſe expediendis, quam in nexu ſententiarum atque tota argumentationis ſerie apte conſtituenda, disputatio mea verſatura eſt. Primis quippe verbis: ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔϛιν ἐμὴ facile licet cum ex ea formula, quae v. 17. ſequitur, atque illis paralleliſmo quodam haud obſcuro reſpondet: ἢ ἐγὼ ἀπ' ἐμαυτοῦ λαλῶ, tum ex ipſa Iudaeorum interrogatione v. 15. praegreſſa, lucem adfundere idoneam. Dicitur enim ἀφ' ἑαυτοῦ vel iudicare, vel dicere, vel facere, qui ſuis viribus, ſuo arbitrio, ſua auctoritate dicit, facit, iudicat (cuius interpretationis veritas abunde patet e locis a S. V. Webero laudatis in commentatione erudita: interpretatio iudicii, quod Ieſus Io. 7, 14 — 18. de ſua ipſius doctrina tuliſſe legitur, Viteb. 1797. p. 6. 7.). Quodſi hanc formulae vim et poteſtatem loquendi vſu comprobatam ad no-

ſtrum locum ita transtulerimus, vt inſuper de nexu videamus, quo reſponſum Chriſti v. 16. comprehenſum quaeſtioni Iudaeorum v. 15. antecedenti cohaerere debeat; facile patet, primarium conſilium, quo Ieſus illa pronuntiaret: η εμη διδαχη ουκ εϛιν εμη (haud dubie non aliter intelligenda, ac ſi dixerit: την εμην διδαχην ουκ εγω απ' εμαυτου λαλω, cfr. v. 17.) eo pertinuiſſe, vt de *vera* ſuae religionis doctrinae *origine* (de modo, quo huius rerum diuinarum ſcientiae atque docendi facultatis particeps redditus fuerit) Iudaeos edoceret. Quum illi (v. 15.) mirabundi inuicem diſputaſſent atque quaeſiuiſſent, vnde Ieſus, nulla doctorum Iudaicorum diſciplina inbutus, illam ſcripturae ſacrae V. T. peritiam (ex ipſius verbis elucentem) acceperit? ipſe reſpondet: doctrina mea non mea eſt, ſed eius, qui me legauit (Dei patris). Ni omnia me fallunt, verbis Chr. oxymoron ineſt acutum, interpreti haud negligendum. Doctrina, ait, quam, quum ipſe ſolus inter homines poſſideam, hominibusque tradam, recte poſſum *meam* appellare, tamen, ratione *originis* habita, non mea eſt; nullius adii doctoris humani ſcholam, qua, more humano ingenii vires excolendo, humanam vocem ducem ſequendo et auctorem, rerum diuinarum ſcientiam mihi pararem; immo hanc totam Deo, qui me ad homines legauit, auctori ita debeo, vt eam rectius Dei, quam meam doctrinam appellem. Cfr. c. 14. v. 24. και ὁ λόγος, ὃν ἀκούετε, οὐκ ἔϛιν ἐμὸς, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρὸς. Recte igitur

cum V. *Tittmanno* in opere egregio: meletemata ſacra ſiue commentarius exegetico — critico — dogmaticus in euangelium Ioannis (Lipſiae, 1816. 8.) p. 259. vertere licet: non tam mea eſt, quam patris. Quanquam Ieſum de modo, quo doctrinam ſuam a Deo acceperit, neque discipulos, neque ceteros Iudaeos vnquam videmus accuratius edocentem, hoc tamen recte adfirmamus (teſtantibus ita pluribus Ieſu Chr. effatis huc pertinentibus, apud Ioannem potiſſimum obuiis), doctrinam illam non tantum ſenſu communi, quo vera, bona, honeſta quaeuis diuina (a Deo oriunda, conſiliis et voluntati diuinae accommodata) appellemus, ſed etiam ſenſu quodam eminentiori, et plane ſingulari, qui in ſolam huius doctrinae cadat originem, a Deo dici profectam. Solet enim Ieſus (in noſtro potiſſimum euangelio) *partim* tam frequenter, tam ſerio, tam grauiter coram ceteris Iudaeis pariter atque coram discipulis ipſi familiaribus palam profiteri, ſe non ἀφ' ἑαυτοῦ doctorem prodiiſſe, hominibusque doctrinam religionis tradere, ſed, quae a Deo acceperit, quae Deus ipſum docuerit, ipſi indicauerit, tradiderit, demandauerit, eadem hominibus exponere (v. c. Io. 5, 30. 8, 27. 28. 40. 12, 49. 50. 17, 8.) *partim* tanta perſpicuitate doctrinae ſuae originem et ab illa coniunctione intima repetere, quae ipſum in terra verſantem etiamnum Deo iungat (Io. 8, 29. — οὐκ ἀφῆκέ με μόνον ὁ πατὴρ —

1) 14, 10.) et a priſtino ipſius ſtatu, quo olim gauiſus fuerat, quum apud Deum in coelis verſaretur (Io. 3, 13. coll. 31.), vt dubio careat, eum doctrinam ſuam neque ab aliis hominibus ipſi ſuppeditatam, neque natiua vi ingenii excogitatam iudicari voluiſſe. Lectu ſunt digniſſima, quae V. *Süskind* (in duabus commentt. de ſenſu, quo ſuam Ieſus doctrinam diuinam perhibuerit, Tub. 1798. 1801.) de effatis illis erudite diſſeruit. Ceterum, quanquam verba noſtri commatis: ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἐϛιν ἐμὴ etc. ex mea quidem perſuaſione proxime eo tendunt, vt *origo* doctrinae Chr. *diuina* ſignificetur, lubentiſſime tamen concedo, iisdem praeterea *auctoritatis diuinae* notionem inhaerere (quum ipſa rei natura doceat, vtramque alteri eſſe coniunctiſſimam). Iam vero Ieſus minime in eo acquieſcit, quod ſimpliciter adfirmet, doctrinam ſuam originis eſſe diuinae. Immo v. 17. (ita pergens: ἐαν τις θελῃ etc.) ad criterium prouocat, ne-

1) Videmus quippe Ieſum c. 14. v. 10. in eo verſantem, vt doceat, quo iure v. 9. dixerit, eum, qui ipſum videat et recte cognoſcat, Deum veluti oculis cernere (veram poſſe Dei cognitionem aſſequi). Eo prouocat, quod ipſum inter atque Deum ea intercedat coniunctio intima, quae faciat, vt, quicunque ipſius *ſermones* audierit, ipſiusque *facta* viderit inſignia, illos audiendo, haec videndo non poſſit non Deum (Dei efficaciam, voluntatem, conſilia) cognoscere (quum Deus partim, interprete Ieſu, ad homines loquatur, partim ipſum facta edentem inſignia auxilio plane ſingulari adiuuet).

que perſpicuitate, neque fide deſtitutum, cuius ope ac beneficio quisque poſſit ſponte cognoscere, vtrum doctrina Chr. Deum habeat auctorem, an ipſe ſuo obſequutus ingenio, ſua auctoritate doceat. Quanquam omnes, quantum noui, interpretes in eo recte conſentiunt, quod Ieſum concedant viam oſtendere, qua homines ad perſuaſionem iuſtam de diuina ipſius doctrinae origine et auctoritate poſſint peruenire; ingenue tamen profiteor, verbis noſtri eſſati mihi quidem minime eiusmodi criterium ineſſe videri, quale plerique interpretes h. l. a Ieſu commendatum fuiſſe exiſtiment. Plerosque enim video de illo originis et auctoritatis diuinae, qua doctrina Ieſu Chr. gaudeat, argumento cogitantes, quod *internum* ſolet appellari (ex ipſa quippe vi atque natura huius doctrinae praeſtantiſſima depromtum), ſ. *teſtimonium experientiae* ſ. *teſtimonium ſpiritus ſancti internum* (quum homo, illam doctrinae vim et efficaciam in ſuo ipſius animo experiundo, de diuina eius dignitate ſibi perſuadeat). Sententiam igitur totius eſſati his fere verbis explicant: quicunque voluntati diuinae ſatisfacere ſtudet, ſ. quicunque ei lubenter ſatisfacit (i. e. doctrinam div. a me propoſitam aſſenſu probat, factisque exprimit), facile eam huius doctrinae vim ſaluberrimam, animum recte edocendi, emendandi, atque tranquillum reddendi ipſe experietur, quae nequeat ex origine quadam huius doctrinae vulgari atque humana repeti, ſed altiorem eamque diuinam ar-

guat.[2]) His *Weberus* S. V. in comment. laud. indea p. 12. tria potiſſimum argumenta oppoſuit: a) tali argumento interno diuinam doctrinae Ieſu originem et auctoritatem oſtendi non poſſe, b) Ieſum verbis illis nonniſi animi conditionem deſcribere futuro doctrinae ſuae cultori neceſſariam, c) eundemque ad diuinam doctrinae ſuae originem et auctoritatem confirmandam nunquam tali argumento interno, ſed ſolis externis (vaticiniis atque miraculis) vſum fuiſſe. Liceat eam animi perſuaſionem. quae mihi, legenti atque relegenti, quae Auctor Venerandus de hisce ſingulis ſubtiliter atque erudite diſſeruit, eademque cum aliis aliorum iudiciis comparanti, ſenſim probata fuerit, paucis declarare. Ipſa docet rei natura, quaeſtionem illam, recentiori potiſſimum aetate varie pertractatam, atque diuerſa expertam theologorum iudicia: num diuina doctrinae Chriſti origo illius argumenti interni (ſ. teſtimonii experientiae) ope demonſtrari recte poſſit? ita eſſe comparatam,

---

2) Cfr. praeter alios Io. *Schoenleben* diſputatio de veritate religionis Chriſtianae ex praxi vitae Chriſtianae demonſtrata ad loc. Io. 7, 16. 17. Altorphii, 1750. 4. Commentatio in locum ev. Io. 7, 17. quae ad dies ſacros Pentecoſtes indicendos Halae, 1795. 4. prodiit (auctoris nomine non indicato). V. *Tittmann* in opere ſupra laudato: meletemata ſacra in ev. Io. p. 290. ſeqq. Qui quidem viri doctiſſimi egregie obſeruarunt, phraſin θελημα του θεου ποιειν de eo intelligi *poſſe*, qui doctrinae Chriſti fidem habeat, eique vitam accommodet.

vt, nisi ante omnia certa et accurata *huius originis diuinae* notio constituta fuerit, omnis disputatio incerta vagetur atque fluctuet. Potest autem doctrinae Christ. triplici potissimum ratione origo diuina tribui, siquidem *vel* eo sensu talem originem ei vindicamus, quo bona, vera, honesta quaeuis sancta, a Deo (virium humanarum auctore rerumque humanarum gubernatore) profecta, eiusque consilio et voluntati accommodata sunt; *vel* prouidentiam diuinam curae suae atque efficaciae documentum plane eximium, quod prae ceteris eius operibus sanctis eminuerit, eo dicimus edidisse, quod illam religionis doctrinam per Iesum hominibus innotescere, propagari, atque, per tantam saeculorum seriem, inter tot tantasque rerum externarum tempestates ac vicissitudines, ad nostram vsque aetatem conseruari iusserit; *vel* huius doctrinae notitiam Iesu Christo a Deo patre, alia causa nulla intercedente, modo plane singulari, ab aliis omnibus praesidiis, quorum ope Deus veritatis cognitionem vulgo homini contingere iubeat, plane distinguendo (cuius naturam internam perspicere nequeamus) suppeditatam fuisse contendimus. Primum quod attinet, nemo vnquam fuit, (nisi quis partium studio duceretur pessimo, animum occoecante), qui negare auderet, quemuis doctrinae Christianae assecla, vera atque pura huius religionis cognitione imbutum, eademque recte vtentem, ex ipsa vi atque efficacia, quam partim cognitio huius doctrinae et pro-

feſſio, partim obſequium eidem praeſtitum in animum hominis exſerat, ſponte intelligere ſibique perſuadere, Chriſtianam religionis morumque doctrinam cum Dei naturae, conſiliis, atque virtutibus (quales ratio ipſa hominem cognoscere ac venerari iubeat), tum ſanctiſſimis naturae humanae deſideriis tam egregie eſſe accommodatam, vt, ſi quid verum, honeſtum, ſanctum, *diuinum* appellari oporteat, illa profecto doctrina hoc nomine digniſſima appareat [3]). Neque fieri poteſt, vt, qui hancce internam doctrinae Chr. praeſtantiam atque efficaciam accurate ſpectauerit, animoque expertus fuerit, ratione inſuper cum illius aetatis, cui primae ſalutare ac beneficum huius doctrinae lumen apparuerit, tum aliorum religionis doctrinae ſyſtematum habita, in ipſa eius origine, conſeruatione, et propagatione documentum prouidentiae diuinae, fata hominum moderantis, plane eximium, prae ceteris omnibus conſpicuum, agnoſcere, ideoque religionem chriſt. hoc etiam ſenſu plane ſingulari diuinam appellare dubitet. Quo certius enim, hiſtoria teſtante, nouimus, quam triſtis atque ſpiſſa caligo illa aetate, qua Ieſus, nouae religionis doctrinae auctor, inter homines

3) Cfr. praeter alios S. V. *Ziegleri* commentatio: Vernunft- und ſchriftmäſsige Erörterung, daſs der Beweis für die Wahrheit und Göttlichkeit der chriſtlichen Religion mehr aus der innern Vortrefflichkeit der Lehre, als aus Wundern und Weiſſagungen zu führen iſt in *Henke* Magazin für Religionsphiloſophie, Exegeſe, und Kirchengeſchichte, erſter Band, S. 21 ſeqq. vorzüglich S. 36 — 44.

prodiret, animis hominum incubuerit, quantaque neceſſitate genus humanum noua, eademque benigna luce indiguerit (aliis ſuperſtitioni coecae ſeruientibus, aliis vna cum fabulis gentilium placitisque peruerſis religionem ipſam perperam abiicientibus, paucis ad meliora adſpirantibus); eo facilius vis interna atque praeſtantia illius doctrinae eluceſcat neceſſe eſt, quae, velutiſtella inter tenebras, aetate tam corrupta atque deprauata, ita apparuerit, vt deſideriis grauiſſimis egregie conſuleret, hominibus, qui ſopore alto obruti eſſent atque ſepulti, ad nouam vitam reuocandis. Quis autem vnquam fuit iuſtus rerum arbiter, voci internae recte obediens, qui intimam animi de ſingulari religionis Chriſtianae praeſtantia perſuaſionem nunquam eo ſentiret auctam atque confirmatam, quod huius doctrinae vim indolemque eximiam aliorum religionis morumque doctrinae ſyſtematum naturae comparaſſet atque efficaciae? Sed alia eſt quaeſtio: num illius, quam *tertiam* attulimus, notionis diuinae religionis noſtrae originis veritati et neceſſitati demonſtrandae *ſola* interna eiusdem natura atque efficacia ſufficiat? Quanquam dubio caret, religionis doctrinam, quae tot ac tanta in animis hominum efficiat, quanta Chriſtiana religio recte adhibita (experientia teſtante) efficere poſſit atque ſoleat, *poſſe* omnino Ieſu Chriſto a Deo patre, ſingulari modo, alia cauſa nulla intercedente, ſuppeditatam exiſtimari; tamen, quomodo quis, *ſolius* praeſtantiae huius re-

ligionis internae ratione habita, amplius possit progredi, necessitatem originis, quae hoc sensu angustissimo diuina appelletur, inde probaturus, me non perspicere ingenue profiteor. Quodsi quis eo voluerit prouocare, quod origo doctrinae, cuiusuis hominis (eiusdem vsum legitimum facientis) animum de rebus, quarum cognitio vera ad salutem aeternam consequendam maxime sit necessaria, tam perspicue edocentis, ad quaeuis bona et sancta tam praeclare excitantis, tantaque cum viuentem tum ex vita terrestri discedentem tranquillitate inbuentis, explicari omnino nequeat, nisi Deum eiusmodi religionem ipsius doctori primo immediate suppeditasse dicamus; facile quisque intelliget, iterum criteria deesse certa atque accurata, quorum ope eum liceat praestantiae atque vis internae *gradum* s. *modum* definire, qui necessitatem doctrinae cuiusdam non mediate sed immediate a Deo repetendae argumento comprobet luculentissimo. Quis enim est, qui vires animi humani ita cognitas habeat atque exploratas, vt, quantum natura hominis, rebus externis Deo moderante excitata, atque exculta, cogitando veritatemque indagando praestare valeat (etiamsi nulla singularis, et extraordinaria Dei efficacia accesserit), eiusmodi lege atque norma constituat ac definiat, quae recte possit ad homines omnes transferri, qui vnquam fuerint, et porro sint futuri? An denique sensum quendam animi plane singularem (eumque supernaturalem a Spiritu diuino in mente hominis vim suam et effi-

caciam exferente profectum) esse dicemus, qui homini scripturae sacrae vsum facienti legitimum de doctrina Christiana ipsius auctori a Deo ipso, alia causa nulla intercedente, ratione extraordinaria patefacta persuadeat? Verum enimuero, vt taceam, nulla suppetere argumenta iusta (vel exegetica, vel philosophica), quae talem spiritus diuini efficaciam *de eiusmodi diuina doctrinae Christ. origine nobis persuadentem* nos exspectare iubeat; ipsa profecto experientia docet, quam parum talis valeat demonstrandi ratio, deficientibus quippe notis atque signis, quorum ope animi sensus, a singulari spiritus div. efficacia profectus, a quouis alio sensu, bono quidem et honesto, sed vulgari ratione, Deo quidem moderante excitato, vbique distinguatur [4]); quanquam lubentissime concedo et agnosco, Deum spiritumue diuinum singulari quoque ratione, nobis non accuratius perspecta, in mentibus humanis sancta et honesta efficere, siue ad persuasionem siue ad voluntatem spectauerint. Quae quum ita sint, recte mihi adfirmare videor, *eam, quam sensu angustissimo ita dicimus, diuinam doctrinae Christ. originem ex eiusdem praestantia interna atque efficacia sola non posse comprobari, nisi alia argumenta, huic interno veluti superstruenda at-*

---

4) Nolumus argumentum ab aliis Theologis iam satis acute pertractatum fusius persequi. cfr. B. *Döderlein:* christlicher Religionsunterricht nach den Bedürfnissen unserer Zeit, erster Theil, S. 221. sqq.

que coniungenda, in ſubſidium fuerint vocata. Patet autem, quantum equidem video, duplex potiſſimum via, qua homini religionis Chriſt. doctrinam recte adhibenti, eiusque vim internam experienti, intercedentibus aliis argumentis rebusque in facto poſitis, ad illam, quam dicimus, perſuaſionem de hac doctrina ipſius auctori a Deo modo plane ſingulari ſuppeditata pervenire liceat. Alteram quidem ineunt, qui ex interna doctrinae vi et indole iure meritoque ad indolem auctoris (Ieſu Chriſti) praeſtantiſſimam colligunt, eidemque *veracitatem teſtimonii* ſuperſtruunt, *quod Ieſus de ſemet ipſo ſuaque doctrina exhibuerit* [5]). Tota quippe religionis Chriſt. indoles ita eſt comparata, vt facile cuique perſuadeat, Ieſum, qui primus eam hominibus tradiderit, neque fraudatorem fuiſſe alios decipientem, neque fanaticum, quem Phantaſia rationi inperans deciperet. Quodſi neque fraudator fuit, neque fanaticus; hoc vnum reſtat, vt teſtimonio, quo ipſe doctrinae ſuae originem illam diuinam cum ſaepiſſime tum ſanctiſſime vindicauerit, fidem habeamus. Accedit, quod omnino ſermonibus Chriſti eiusmodi quoque effata et placita continentur, quae nemo hominum, ſi vel ratione maxime exculta gaudeat, *tanquam certiſſima* et *indubitata* pronuntiare recte poſſit, niſi

5) Ofr. B. *Storrii*: Lehrbuch der chriſtlichen Dogmatik, in das Deutſche überſetzt mit Erläuterungen und Zuſätzen von M. Flatt, Stuttgardt, 1803. S. 125 ſqq.

modo ſingulari fuerit diuinitus edoctus (v. c. quae Chriſtus pluribus locis de euentis quibusdam olim futuris eloquutus eſt) Quodſi ad eiusmodi effata animum attenderimus, ipſa indoles praeclara Ieſu Chriſti ex vniuerſa eius doctrinae praeſtantia eluceſcens, recte, opinor, nobis perſuadebit, *Chriſtum*, qui neque alios vnquam deciperet, neque vlli indulgeret fanatiſmo, non potuiſſe eiusmodi effata, quorum veritatem ratio humana ſponte agnoſcere nequeat, (tanta quidem perſuaſionis firmitate) enuntiare, niſi per Deum ſingulari modo fuiſſet edoctus. Altera, quam dixi, via (illi concilianda) haec eſt, vt, praeſtantia religionis Chriſt. explorata vſuque cognita, animum noſtrum ad ea conuertamus, quae nobis *de externa Ieſu Chriſti conditione eiusque pueritiae fatis* innotuerint, colligentes inde, Ieſum, in eiusmodi gente natum, qualis Iudaica eſſet, atque eiusmodi conditione externa vtentem, qualem illius fuiſſe nouimus, nunquam profecto talem proditurum fuiſſe doctorem (toti hominum generi omnium temporum et ſaeculorum beneficum atque ſalutarem), qualem illum recte colimus ac veneramur, niſi Deus in animum Ieſu vim exſeruiſſet plane ſingularem (ab aliis praeſidiis, quibus Deus vulgo hominibus educandis excolendisque proſpicit, omnino diſtinguendam). 6) Hucusque disputatis iam effeciſſe mihi

6) Sufficit, eos, qui omnem huius argumenti vim accuratius cognoſcere voluerint, ad librum B. *Reinhardi* praeſtantiſſi-

videor, vt pateat, quo sensu atque iure, etsi concedam, diuinam doctrinae Chr. originem sensu angustissimo sic appellatam non posse ex interna eiusdem praestantia atque efficacia *immediate* comprobari, hoc tamen adfirmem, finem suum omnino consequi Theologos, ad hoc internum argumentum prouocantes, si modo alias rationes, illud argumentum inter atque rem probandam veluti intercedentes, atque viam munientes, in subsidium vocauerint, ideoque eorum sententiae calculum addere nequeam, qui vniuerse negent, ipsum religionis Christ. auctorem, diuinam eius originem et auctoritatem probaturum, discipulos suos atque auditores ad internam eius praestantiam ablegare vnquam *potuisse*. Videamus porro, num loca suppetant idonea in sermonibus Iesu Christi obuia, quae nobis persuadeant, eum tali argumento *re vera* vsum fuisse? Cui sententiae confirmandae nolumus quidem ea Christi effata adhibere, vbi seruatorem nostrum vniuerse ad ἔργα sua videmus prouocantem. Quanquam enim inter recentiores intt. plures exstiterunt, qui Iesum ἔργα sua interdum ita commemorasse adfirmarent, vt vel de *sola doctrina sua*, eamque *tradendi prouincia*, vel de *doctrina* certe *pariter atque de factis* cogitaret *insig-*

---

mum ablegasse: Versuch über den Plan, welchen der Stifter der christlichen Religion zum Besten der Menschen entwarf. (Vierte Auflage, Wittenberg und Zerbst, 1798) S. 470. seqq.

nibus (miraculis) ab ipso editis (cfr. auctor anonymus comment.: Erklärung des 5ten cap. Io. zur Probe aufgestellt in B. Henkii: neues Magazin für Religionsphilosophie u. s. w. 5ten B. 2tes Stück. ad c. 5. v. 20. itemque auctores anonymi epistolarum: Briefe über das evangelium Io. von verschiedenen Verfassern apud Ill. Eichhornium in Bibliotheca litteraturae bibl. Volum. 7. fascic. 6. ad Io. 5, 19. sqq.), vereor tamen, ne hac in re coniecturae potius arbitrariae indulsisse, quam loquendi vsum in euangeliis obtinentem satis accurate ponderasse videantur. Neque enim ea commentarii Ioannei effata, quibus veritatem, immo necessitatem huius interpretationis praecipue inniti iudicant, eidem comprobandae satis apparent idonea [7]);

7) Verba quippe Io. 5, 19. 20. quum partim narrationi praecedenti (de homine coeco a Iesu sanato, cuius sanatio iis, quae postea Iesum inter atque Iudaeos acta fuerunt, ansam et occasionem praebuit) arcte cohaereant, partim proxime sequentibus inde a v. 21. (quae proxime quidem de opere Iesu Christi praecipue insigni, de futura corporum mortuorum resurrectione recte intelligi versus 28 et 29. declarat, etsi haud negauerim, Iesum in eodem sermone, inprimis quum v. 25. diceret: και νυν εστιν etc. *insuper* etiam de morali quadam animorum resurrectione, iam nunc incipiente, cogitasse); profecto ipsa orationis series parum fauet interpretibus h. l. verbum ποιειν pro διδασκειν accipientibus atque sub εργοις v. 20. commemoratis doctrinam intelligentibus. Immo sententia v. 19. 20., (quantum equidem video) ita se habet: *non decet filium proprio arbitrio quicquam facere, quod patrem facientem non viderit; immo, quaecunque ille agit, eadem similiter filius peragit* (ad patris exemplum suis

neque, vt eam ſequamur, alia permittunt euangelii noſtri effata, quibus τα εργα Ieſu Chriſti ab eius ſermonibus (doctrinae) ea perſpicuitate diſtinguuntur, quae facile declarat, illis *ſola* eius *facta* ſig-

---

factis et operibus ſe totum componit.) cfr. v. 17. *Etenim, quum pater filium diligat, quaecunque facit, filio oſtendit* (filio dilecto, cui nihil abſcondendum putat, quaecunque facit, innoteſcere patitur, eidemque viam oſtendit, et facultatem concedit, eadem perficiendi). *Immo his maiora opera ei oſtendet*, (eumque facere docebit) *ita vt vos miraturi ſitis.* — Quamquam apud Io. 8, 28. verbum ποιειν omnino ita adhibetur, vt pateat, notionem του λαλειν s. διδασκειν exprimi; nolim tamen inde demonſtrare, Subſtant. εργα de *doctrina* recte intelligi. — Neque huc pertinent Iudaeorum verba Io. 6, 28. Tota quippe orationis ſeries declarat, non potuiſſe Iudaeos ibi loquentes, quum εργα του θεου commemorarent, de doctrina cogitare diuina. Poſtquam Ieſus Iudaeos, quorum plerique ea tantum de cauſa ipſum denuo adierant, quod antea, ipſo auctore, panibus fuerant ſatiati, v. 27. admonuerat, vt de eiusmodi potius cibo, qui ad vitam futuram eſſet duraturus, per Meſſiam inpetrandus, ſibi comparando ſedulo cogitarent; Iudaei, quanquam probe videbant, verba Chriſti ad cibum quendam coeleſtem pertinere, minime tamen ſublimiorem effati ſententiam recte capiebant, immo de alimento, proprie ita dicto, ipſis Ieſu auctore coelitus ſuppeditando, Mannae ſimili (cfr. v. 31.), cogitantes, ideoque non intelligentes, quomodo Ieſus ipſos v. 27. iubere potuerit, talem cibum ſua ſibi comparare opera, v. 28. animo ſuſpenſi (neque, ni omnia me fallunt, ſine ironia quadam) ita doctorem interrogabant: quomodo tandem fieri poteſt, vt nobis (noſtris ſtudiis) ea comparemus, quae Deus (idemque ſolus) perficere valeat (cibum coeleſtem, nunquam periturum?) εργα του θεου i. q. ἃ ποιει (εργαζεται) ὁ θεος, cfr. 8, 39. 41.

nificari *insignia* (miracula). cfr. Io. 14, 10. 11. Priori quippe vs. 10. Iesus, vt Philippum doceat, quo iure antea (v. 9.) eum, qui ipsum viderit, patrem Deum) vidisse dixerit, ad duo potissimum prouocat argumenta, a) ad sermones: τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ: doctrinam, quam vobis trado, minime ex proprio ingenio et arbitrio profectam trado (immo, quae Deus mihi suppeditauit, eloquor, Dei interpres), b) ad facta: ὁ δὲ πατὴρ, ὁ ἐν ἐμοὶ μένων αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα: itemque pater (Deus) mihi coniunctissimus (auxilio perpetuo me adiuuans) ipse (per me) opera mea (vires mihi concedendo et adiuuando) perficit. Aliam quidem viam nuper ingressus est Doctiss. *Stark*, qui in paraphrasi sua et commentario in eu. Io. capita 13—17. Ienae, 1814. edito p. 22. sq. de huius quoque effati sensu acute, vt solet, ita disseruit, vt ostendere studeret, Iesum primum quidem verbis: τα ρηματα etc. negasse, doctrinam suam a se profectam esse, deinde vero adfirmasse, patrem (Deum) auctorem esse omnium, quae peregerit, ita vt sub ἐργοις partim doctrinam suam, partim facta insignia (omnino quaeuis opera sua Messiana) intelligeret. Quanquam lubentissime concedo, hanc interpretationem probe accommodatam esse mori Ioanneo, sententiam negatiue enuntiatam adfirmando eloquendi, et verba fere idem significantia, amplioris vero potestatis substituendi; tamen mea quoque verborum explicatio nihil habet, quod vel nexum senten-

tiarum neceſſarium interrumpat, vel ab vſu liquendi abhorreat, ſi modo perpenderimus, negationi Chriſti: ρηματα mea ου λαλω απ' εμαυτου ſimul ineſſe adfirmationem: verba Dei eloquor, et voculam δε non tantum adhiberi, vbi contrarium contrario opponitur, ſed etiam vim habere ſimplicem, *continuationem* orationis ſ. argumentationis ſignificandi (v. c. c. 14. v. 21. c. 15. v. 27.) Praeſertim vero ad comma ſequens prouocare liceat. Vs. 11. quum Ieſus verbis: credite mihi adfirmanti, me patrem, patrem mihi eſſe coniunctiſſimum, confeſtim haec ſubiungat: ſin minus (ſin mihi ſimpliciter hoc adfirmanti fidem habere nolueritis), propter facta certe mea fidem mihi habete; iterum τα εργα a ſermonibus ſuis atque doctrina ita diſtinguit, vt pateat, eum loquendi vſum, qui e noſtro effato praecipua perſpicuitate eluceſcat, aliis locis, quae forte magis ambigua poſſint videri, illamque vocabuli εργα interpretationem nonnullis interpretibus probatam facilius admittere, recte explicandis iure meritoque adhiberi [8]). Neque alia eſt illius effati ratio,

8) Recte quidem *Starkius* l. l. ſenſum verborum v. 11. hac paraphraſi declarauit: glaubet doch meinen Verſicherungen von meiner genauen Verbindung mit Gott; wenn dies euch aber nicht genügt, ſo überzeugt euch hiervon durch die Werke, die ich vollbringe. Nonne vero hi ipſi ſermones Ieſu Chriſti, quibus homines de origine ſua diuina edocuit, vniuerſa doctrinae ab eo traditae (των ρηματων) notione comprehenduntur? Neque v. 12. eogit interpretem,

quod c. 15. v. 22. 23. 24. exſtat, vbi Ieſus cauſam duplicem commemorat, quare Iudaei, qui et ſuam doctrinam contemtui et odio habuerint, et olim Apoſtolis ſuis fidem ſint denegaturi, grauem culpam ſuſtinerent; alteram inde, quod ipſe eos meliora *docere* ſtuduiſſet (v. 22.) alteram e *factis* plane inſignibus petitam, quae coram iis edidiſſet (v. 24.). (Vberius de hoc effato differitur in comment. ſequente de conſilio, quo Chriſtus miracula edidit etc.) Proinde lubentiſſime adſentior S. V. Webero in comment. laud. p. 17. recte neganti, vniuerſam notionem numeri Sigularis το ἔργον (haud raro totum Ieſu Chr. opus ſalutare complectentis) ad Pluralem τα ἔργα Χριστου poſſe transferri. — Neque internum, quod dicimus, diuinae religionis Chr. originis argumentum in illo Chriſti effato quaerere auſim (Matth. 11, 5.) quo diſcipulis Ioannis baptiſtae (qui v. 3. eum interrogauerant, vtrum ipſe ſit Meſſias dudum promiſſus atque deſideratus, an alius debeat exſpectari?) ita reſpondet, vt partim eos ad facta

---

ἔργα ad doctrinam quoque referre a Chriſto traditam. Promittit Chriſtus v. 12. ſectatores ipſius veros (Apoſtolos potiſſimum), quum diutius in terra verſaturi ſint, vſu virium ſuarum plura eſſe in terra *effecturos* (multo latius regnum diuinum propagaturos). Quod aliquis *efficit* (ſiue docendo, ſiue alia ratione fuit) recte poteſt ex vſu loquendi ἔργον appellari Philipp. 1, 6. Hebr. 1, 10. al. Neque vero inde demonſtrare velim, eodem iure Subſtant. ἔργα ad ipſos ſermones, ipſamue doctrinam referri.

ſua inſignia ableget, partim eo prouocet, quod homines miſeros et adflictos de regno div. edoceat proxime inſtante (πτωχοὶ εὐαγγελίζονται. cfr. Lucae locus parall. 7, 22.). Videmus quippe Ieſum l. l. non tam in eo verſantem, vt doctrinae ſuae efficaciam ſaluberrimam tanquam argumentum diuinae eius originis commemoret, quam ſingulis exemplis declarantem, in tota ipſius agendi ratione nihil deeſſe atque deſiderari, quod ad negotia Meſſiae atque munera pertineat, quum facta edat inſignia, doceat, regnumque diuinum proxime inſtans nuntiet. — His igitur miſſis, ad aliud transeo euangelii Ioannei effatum, quod ex mea quidem perſuaſione exemplo probat ſatis luculento, quam probe argumenti illius interni vſus ipſius Ieſu Chriſti conſiliis placitisque conueniat, Io. 6, 35. Quum enim Iudaei v. 30. a Ieſu, fidem ipſi, tanquam *legato Dei*, habendam exigente, hoc poſtulaſſent, vt documentum inſigne ederet, quo videndo de diuina eius legatione poſſent perſuaderi; atque v. 31. ad Moſen prouocaſſent, legationem ſuam diuinam eo teſtatum, quod Iſraelitis in locis deſertis panem coeleſtem (Mannam) comedendum procuraſſet; Ieſus v. 32. 33. haec reſpondit: minime Moſes vobis panem coeleſtem (re vera, ſenſu perfectiſſimo ita appellandum) praebuit, ſed pater meus panem coeleſtem veriſſimum vobis contingere iubet; nam diuinus panis ille eſt, qui e coelis demiſſus hominibus vitam (ſalutem veriſſimam) lar-

gitur. Iudaeis vero ſententiam huius effati ſublimiorem nondum recte capientibus, Ieſumque adhortantibus, vt eiusmodi panem perpetuo ipſis largiatur, porro addit v. 35.: equidem ſum panis ille ſalutaris; qui me ſectatus fuerit, nunquam eſuriet, qui mihi fidem habuerit, nunquam ſitiet (omnibus ſalutis veriſſimae praeſidiis abunde gaudebit, alia non quaeſiturus) Docet autem reliqua totius capitis oratio, atque argumentatio, imaginem panis coeleſtis vniuerſam eorum potiſſimum beneficiorum notionem inuoluere, quae Deus humano generi per Ieſum, tanquam *doctorem*, offerat. Cfr. locus ſimilis 4, 14. et 7, 37. 38. Quae quum ita ſint, ſatis aperte Ieſum coram Iudaeis, documentum ipſius *legationis diuinae* poſtulantibus, ad ſuum *docendi negotium* ſuamque *doctrinam*, quae efficacia ſumma gaudeat eademque ſaluberrima, videmus prouocantem. Iam vero, dum Ieſus *legatum* Dei ſeſe appellabat (v. 29. ἵνα πιστεύσητε, εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος) idem profecto docebat, quod formulae ineſt, illi ſynonymae, clarius tamen *originis* Ieſu *coeleſtis* notionem exprimenti: καταβέβηκα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ (v. 38.) Origo autem Ieſu Chr. coeleſtis, quum illi diuinae origini, quam Ieſum doctrinae ſuae vindicaſſe ſupra (p. 61. ſq.) vidimus, ſit coniunctiſſima, patet inde, Seruatorem noſtrum, dum v. 33 et v. 35. (ὁ ἐρχόμενος πρός με, οὐ μὴ πεινάσῃ etc.) efficaciam doctrinae ſuae ſaluberrimam tanquam σημειον legationis ſuae diuinae laudaret, eandem diuinae,

quam doctrinae suae recte vindicaret, originis documentum exstare voluisse luculentissimum 9).

9) Effato Christi breuiter illustrato alium Ioannis baptistae sermonem iuuat comparare, Io. 3, 31. vbi praestantiam atque dignitatem, qua Iesus, tanquam doctor coelitus ad homines ablegatus, alios omnes, qui inter homines sint fuerintque, doctores (ipsumque Ioannem baptistam) superet, his verbis declarat: *qui coelitus venit, omnibus est superior* (quae quidem formula ἄνωθεν ἐρχόμενος, quum h. l. singulari Iesu Christi, *omnibus aliis*, *ipso etiam Ioanne*, *superioris* dignitati eiusque causae illustrandae inseruiat, minime *solam* potest legationis diuinae notionem inuolnere [siquidem Ioannes quoque doctor prodierat, a Deo excitatus, Dei legatus, cfr. Io. 1, 33.] sed etiam *coelestem* Iesu Christi *originem* eiusdemque *praeexistentiam* satis aperte innuit). Pergit: *qui terrenam habet originem*, *terrestris est* (homo qualis esse potest, qui tali gaudet origine, vulgaris, nulla singulari, ipsi *plane propria*, rerum diuinarum scientia imbutus) *atque terrena tradit* (talia docet, qualia homo, eiusmodi origine vulgari gaudens, tradere potest, veluti *ex terra* rebusque terrestribus loquens), *sed qui coelitus venit*, *omnibus est superior*. Quemadmodum Ioannes doctrinae ab eiusmodi doctore, qui originem habeat vulgarem, traditae indolem ipsius doctoris origini probe dicebat accommodatam esse (ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ), ita de indole doctrinae, cuius auctor coelesti gaudebat origine, non potuit non idem fere iudicium, eiusmodi originis notam exstare atque documentum ipsam doctrinae tali doctori debitae indolem. Hanc vero indolem Io. baptista v. 32. (καὶ ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, τοῦτο μαρτυρεῖ) in eo potissimum versari docet, quod doctor coelestis sua institutione hominibus *perfectissimam rerum diuinarum atque coelestium notitiam* contingere iubeat. — Neque effata illa (quorum mentionem aliquam supra iniecimus) Io. 14, 10. 11. et 15, 22. sq. ab vsu argumenti, de quo dicimus, interni plane aliena putauerim.

Quod vero Ieſum nunquam vel apoſtolos vel Iudaeos de eo accuratius videamus edocentem, *qua-*

Quamquam enim vtrumque effatum illam diuinae religionis noſtrae Chriſt. originis comprobandae methodum, quae ex ipſo eiusdem argumento, indole, efficacia ducitur, non omnino eadem perſpicuitate illuſtrat, quam loco ſupra explicato (hac in re, opinor, primario et vere claſſico) Io. 6, 35. ineſſe vidimus; hoc tamen recte mihi adfirmare videor, non potuiſſe Ieſum ea dicere, quae vtroque effato contineantur, niſi poſuiſſet, ipſis ſermonibus ſuis aliquid ineſſe, quod hominibus ſponte (etſi nulla acceſſerint facta inſignia) diuinam eius legationem et auctoritatem (ideoque doctrinae quoque originem coeleſtem) perſuadere valeat. Quemadmodum enim Io. 14, 11. ſatis aperte a diſcipulis poſtulat, vt fidem ſibi habeant, *adfirmanti* (*docenti*), ſe patri, patrem ſibi eſſe coniunctiſſimum, haec addens: *ſin minus* (ſin *docenti* fidem habuere nolueritis) *propter facta certe inſigna fidem mihi habete;* ita 15, 22. 23. haud obſcure, opinor, declarat, eos, qui pertinacia ſumma diuinam ipſius legationem agnoſcere nolint, *vel hac de cauſa non habere, quo pervicaciam excuſent, quod eos de hac diuina ipſius legatione edocuerit.* Alia quidem fuit S. V. Weberi de loco priori Io. 14, 11. ſententia in programmate laud. P. 19. 20. defenſa, qui verba Ieſu (v. 11.) hac ratione intelligenda et explananda iudicat: „vos, reliqui mei diſci„puli, praeter Thomam et Philippum, qui meam ſpem de „vobis conceptam quoddammodo fefellerunt, (coll. v. 5 „8.) vos certe mihi creditis, me cum patre, et patrem me„cum eſſe coiunctiſſimum; ſin autem ſpes me in vobis quo„que fefellerit, credite mihi in poſterum, facite certe ab „hoc tempore initium credendi, non propter ipſam doctri„nam, ſed propter illa miracula, quae patrem per me edere „dixi.“ Cuius quidem interpretationis acumen etſi lubentiſſime agnoſco, ingenue tamen profiteor, me propterea non

nam argumentatione diuina illa doctrinae suae origo ex eiusdem vi interna atque efficacia colligi

---

posse calculum ei adiicere, quod nullum omnino appareat vestigium, vnde pateat, Iesum ea dicentem, quae v. 11. contineantur, ad *ceteros tantum apostolos* praeter Thomam atque Philippum, neque ad omnes orationem suam conuertisse. Immo, quemadmodum Thomas atque Philippus ea, quae partim v. 5. (οὐκ οἴδαμεν, που υπαγεις etc.) partim v. 8. (δειξον ημιν τον πατερα etc.) profitebantur, *nomine omnium* professi fuerant; ita Iesum v. 7. (ει εγνωκειτε με etc.) itemque v. 10. (τα ρηματα, α εγω λαλω υμιν, απ' εμαυτου etc.) ea audimus respondentem, quae de *apostolis omnibus* valeant. Versus autem 10. nostro 11. parallelismo quodam cohaerèt, in tota et sententiarum indole et membrorum ratione conspicuo. Illis quippe v. 10. verbis: τα ρηματα — λαλω (quibus ostendit, homines ipsum videntes eatenus recte dici Deum patrem veluti videre, quatenus ipse Dei patris sit interpres, eiusdemque consilia atque decreta hominibus patefaciat) plane respondent verba v. 11. (quibus *fidem* postulat ρημασι *illis habendam*): πιστευετε — εν εμοι; itemque verba v. 10. seqq. quae ad facta Iesu Chr. insignia tanquam luculenta voluntatis et consiliorum Dei testimonia per Iesum edita prouocant: ο δε — τα εργα illis v. 11. verbis (quibus *fidem* postulat *factis suis habendam*): ει δε — μοι apparent accommodatissima. In tali membrorum parallelismo e meo quidem sensu non sine duritie quadam fieri potest, vt interpres verba v. 11. a commate 10. seiungat, Iesumque vtroque versu ad homines diuersos orationem suam conuertisse iudicet, neque verbum πιστευετε posteriori loco positum pariter, atque prius illud πιστευετε, pro casu imperatiui accipiat. — Neque, quo minus effata illa (Io. 14, 10. 11. 15. 22. sq.) eo, quem dixerim, sensu interpreter, alio impedior loco (Io. 5, 31.), vbi Iesus coram Iudaeis haec profitetur: εαν εγω μαρτυρω περι εμαυτου. η μαρτυρια μου ουκ

possit atque debeat, (i. e. vtrum, vt Logici dicunt, immediate an mediate inde sequatur?) ne-

---

ἔστιν ἀληθής. Quanquam enim loco laudato cum Iudaeis ita agit, vt concedere videatur, testimonio, quod de semet ipso exhibeat, fidem esse denegandam (nisi alia accesserint); aliud tamen, quod Io. 8, 14. exstat, Iesu Chr. effatum profecto ostendit, eum, quae Io. 5, 31. dixerit, eo tantum consilio monuisse, vt iis Iudaeis, qui testimonium illud ab ipso Iesu eos docente exhibitum omnino reiicerent (eo prouocantes, quod nemo possit in sua ipsius causa testis prodire idoneus) interea aliquid concederet, eosque ad alia Dei patris testimonia ablegaret, ipsius legationem diuinam ita declarantia, vt iis quoque persuaderi debeat, qui *verbis* Iesu Chr. eiusque *doctrinae per se spectatae* fidem habere noluerint. Etenim c. 8, v. 14. iterum Iudaeos (qui v. 13. veritatem testimonii, quod Iesus de semet ipso, tanquam doctore diuino, v. 12. ediderat, in dubium vocauerant) ita alloquitur: *etsi ipse de me testimonium exhibeam, fide tamen dignum est, noui quippe, vnde venerim, et ad quem redeam, vos autem ignoratis, vnde venerim, et, ad quem discedam.* Patet inde, Seruatorem profecto testimonium illud quod de diuina ipsius legatione docendo protulerit, dignum iudicasse, cui per se spectato fides haberetur, atque vt ei confiderent a Iudaeis omnino postulasse, quippe quos rerum diuinarum atque coelestium (Dei voluntatis, consiliorum, decretorumque) cognitione multum superet. (cfr. quae supra de effato Ioannis baptistae Io. 3, 31. disputauimus.) Ceterum ab illa μαρτυρία fide digna, quae ipsis Iesu Chr. verbis atque sermonibus inest, v. 16. alia distinguitur ipsius Dei μαρτυρία grauis et sancta, quae, quum illi plane conspiret, eiusdem veracitatem comprobat. Verba quippe v. 16. καὶ ἐὰν κρίνω δὲ ἐγὼ, ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ ἀληθής ἐστιν (orationis nexu atque serie ita suadente) eandem sententiam inuoluere existimo, quae v. 14. his verbis efferebatur: κἂν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, ἡ μαρτυρία μου ἀληθής ἐστιν; ita vt κρισις

minem profecto mirum habere poterit, qui probe perpenderit, omnem Iesu Christi et Apostolorum docendi methodum intelligentiae populari accommodatissimam fuisse, ideoque subtiliora quaedam notionum discrimina (Philosophorum scholis apta) non tetigisse. Potuit quippe Iesus (pro suo consilio sanctissimo, suorumque discipulorum ingenio, indole atque desideriis) in eo recte acquiescere, quod homines ipsum audientes ad illam doctrinae suae efficaciam praestantissimam diuinae eius origini comprobandae inseruientem omnino attentos redderet, Theologi est, ad Theo-

---

h. l. de eo intelligatur iudicio, quod Iesus de semet ipso protulerit (i. e. de testimonio, quod de legatione sua diuina ipse ediderit). Pariter verbum κρινειν v. 25. ad Iudaeos translatum videmus de *Iesu Christo* perperam et cupide iudicantes. Quemadmodum Iesus v. 14. docuerat, testimonium, quod de auctoritate sua exhibuerit, propterea fide dignum esse iudicandum, quod rerum diuinarum atque coelestium cognitione Iudaeos superet, ita iam v. 16. aliam veracitatis, qua testimonium illud gaudeat, causam atque rationem inde repetit, quod minime *solus* in causa sua prodeat testis, sed alium quoque testem habeat grauissimum, ipsi conspirantem, Deum patrem, qui ipsum legauerit. Quam quidem interpretationem vt amplecterer, sequentia potissimum suadebant, quibuscum cfr. Io. 5, 36. sqq. — Liceat insuper lectores ad plura ablegare euangeliorum loca, vnde patet, partim praestantiam atque vim doctrinae a Iesu Christo traditae, partim modum omnem, quo docuerit, efficacia plane singulari gaudentem, haud paucis Iesu Chr. coaevis diuinam eius auctoritatem omnino persuasisse. Io. 4, 41. 42. 7, 46. 8, 30. 16, 30. Matth. 7, 28. 29.

logos loquentis, atque de rebus ad religionem noſtram pertinentibus philoſophantis, in omnem vim atque naturam huius argumenti accuratius inquirere, nexu atque ſerie, quae argumentum propoſitum rei probandae iungat, ſubtilius explicanda. — Redeamus iam ad locum Ioanneum, cuius interpretatio eam adduxit disputationem exegetico-dogmaticam, quam hucusque paucis pertractauimus. Quanquam equidem, cauſis modo expoſitis ductus, perſuaſiſſimum mihi habeo, Ieſum illius argumenti diuinae originis doctrinae ſuae, quod ipſa huius doctrinae vis interna, praeſtantia, atque efficacia ſuppeditet, vſum non modo facere potuiſſe, ſed etiam re vera feciſſe, ideoque iis argumentis adſentiri nequeo, quae praecipue S. V. Weberum (in comment. laud.) mouiſſe video, vt illam plerisque interpretibus probatam loci Io. 7, 17. interpretationem (ſupra p. 61. ſqq. accuratius explanatam) relinqueret, lubentiſſime tamen profiteor, nec mihi vulgarem illam ſententiae huius effati explicandae rationem prorſus ſatisfacere, quum alia ſuppetat, qua probata verſum ſeq. 18. verbis v. 17. *nexu* magis commodo et facili iungere liceat. Verſu quippe 18. Ieſum haec audimus profitentem: ὁ ἀφ ἑαυτοῦ λαλῶν τὴν δόξαν τὴν ἰδίαν ζητεῖ· ὁ δὲ ζητῶν τὴν δόξαν τοῦ πέμψαντος αὐτὸν, οὗτος ἀληθὴς ἐστι καὶ ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἐστιν: „qui ſua auctoritate docet, ſuae ipſius glo„riae ſtudet; at, qui honori eius ſtudet, a quo le„gatus eſt, verus eſt doctor ab omni fraude alie-

nus.“ In promtu est, doctoris vere diuini, in cuius effatis fiduciam summam collocari oporteat, criterium hoc proferri, quod eiusmodi doctor non suae, sed Dei gloriae prospiciat; non laudem captet humanam, commodis externis iunctam, eandemque quouis praesidio, etsi parum fuerit honestum, comparare sibi studeat, sed omnia ad Dei voluntatem referat, consiliis, quae Deus inter homines per veram religionis doctrinam consequi voluerit, se totum accommodet, atque omnia, quae bene et feliciter ei successerint, Deo tribuat auctori. Quae quidem v. 18. verba commatis praecedentis argumento accuratius comparando ipse pristinam meam de vera v. 17. interpretatione sententiam immutaui. Iam enim totam sententiarum, quae v. 16. 17. et 18. contineantur, seriem atque nexum hoc modo constituendum esse video: „doctrina, quam trado, non „mea est, sed eius, qui me legauit. Quodsi quis „(s. quicunque igitur) *promtus paratusque* fuerit „ad voluntatem Dei probe et pie colendam (factis„que exprimendam), facile cognoscet (diiudicare „poterit), vtrum doctrina (quam hominibus tra„dam) Deum habeat auctorem, an mea tantum „auctoritate, meoque arbitrio doceam? Etenim, „qui sua docet auctoritate, suae ipsius gloriae „studet; at, qui honori eius studet, a quo lega„tus est, verus est doctor, ab omni fraude alie„nus. (Quicunque igitur ad Dei voluntatem ipse „omnia refert, consiliisque diuinis se totum ac-

„commodat, Dei gloriae et honori quouis pacto „consulens, eum profecto latere non potest sen„sus vere coelestis ac diuinus, qui animo inhaeret „alius cuiusdam hominis, eodem ingenio gau„dentis, ad Dei voluntatem omnia referentis, „eiusdemque gloriam curantis. Ita fiet, vt eius„modi homo optime sentiat, atque intelligat, quo „iure religionis doctor, qui cum sermonibus tum „factis minime suo studeat honori, sed totus in „eo elaboret, vt Dei consiliis inter homines satis„faciat, atque ita Dei gloriae quouis modo con„sulat, diuinae voluntati atque efficaciae omnia, „quae vel doceat, vel agat, pie tribuens, doctorem „diuinum, a Deo legatum, se appellet).“ Vt verbo dicam, videmus Iesum legationis suae diuinae (atque originis doctrinae suae coelestis) criterium commemorantem, inde depromtum, quod minime suo honori, sed Dei tantum gloriae atque voluntati inter homines declarandae atque promouendae docendo agendoque consulat, ideoque ad sensum internum eorum hominum prouocantem, qui, quum simili gaudeant animi indole, Deum eiusque voluntatem et honorem potius, quam alia omnia curantes, illius criterii vim internam egregie sentire valeant, atque ita diuinam Iesu Christi legationem eiusque doctrinae auctoritatem agnoscere. Quam quidem loci nostri interpretationem qui probauerit, eum hoc certe lucraturum esse persuasum mihi habeo, vt versum 18. antecedenti commati nexu conciliet facillimo. Neque

verbis singulis inesse video, quae sententiae meae repugnent. Quanquam enim iis interpretibus, qui illam v. 17. formulam: ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ (θεοῦ) ποιεῖν ad obsequium referunt praeceptis doctrinae Christ. praestandum, lubentissime concedo, verba Christi hanc sententiam admittere; aeque tamen patet, loquendi vsum mihi etiam permittere, vt partim ambitum formulae ποιειν το θελημα του θεου h. l. paulo latius patere existimem, atque vniuersam obsequii voluntati diuinae praestandi notionem complecti (quo sensu Iesus Io. 5, 30. 6, 38. verba: ποιειν s. ζητειν το θελημα του θεου de semet ipso, suisque studiis adhibuit), partim voculam θελῃ h. l. non pleonasticam iudicem, sed eo consilio additam, vt animum significet ad voluntatem Dei factis exprimendam *admodum promtum* et *paratum* (*Deo lubentissime* obsequentem). cfr. Io. 6, 21. Phrasis autem integra: θελειν το θελημα θεου ποιειν, e mea quidem persuasione, h. l. plane respondet verbis v. 18. την δοξαν του θεου ζητειν. Ipsa quippe rei natura docet, hominem, qui voluntati numinis diuini quouis pacto obtemperet, eiusdemque consiliis lubentissime satisfaciat, eo ipso gloriae Dei atque honori inter homines agnoscendo et promouendo optime consulere. cfr. Io. 15, 8. 17, 4. Licet insuper locum nostrum, tali modo explicatum, cum alio euangelii Ioannei effato comparare 5, 44. Quemadmodum Iesus nostro l. Iudaeis ipsum audientibus ostendit,

hominem voluntati diuinae lubentissime obtemperantem, atque ita honori numinis summi consulentem, diuinam ipsius (Iesu Christi) auctoritatem propterea facillime agnoscere, quod eiusmodi probus Dei cultor propter omnem animi sui indolem egregie sentiat, quo iure religionis doctor, diuinae voluntati se totum accommodans, neque suo, sed Dei honori prospiciens, doctorem se appellet a Deo legatum; ita 5, 44. causam, quare Iudaei multi fidem ipsi habere nequeant, inde repetit, quod mutuam captent hominum commendationem, neque eam curent, quae homini a Deo contingat, ideoque ea diuinae ipsius legationis testimonia negligant atque contemnant, quae Deus ipse et olim (per prophetas) exhibuerit, et etiamnum (per facta Christi insignia) edere pergat. Vtroque loco *de ea animi indole et conditione* agitur, *qua hominem gaudere oporteat, de diuina Iesu Christi eiusque doctrinae auctoritate recte sibi persuasurum.* Cfr. insuper Io. 3, 19. 20. 21. 5, 41 — 45. 8, 23. coll. v. 19. itemque 8, 37. 38 — 45. et v. 47. — Aliam loci pertractati Jo. 7, 17. interpretationem S. V. Weberus, qui et ipse vulgarem explicandi rationem mihi quoque non omnino probatam deseruit, in comment. laud. p. 16. 17. commendauit, huc redeuntem, vt Iesus v. 17. hoc tantum docuisse existimetur, nonnisi eos ad diuinam doctrinae Christ. originem atque auctoritatem cognoscendam satis esse idoneos, qui credere *ve-*

lint, qui *bona voluntate* gaudeant ad verum cognoſcendum probandumque maxime neceſſaria, qui dociles ſint, opinionibus temere captis prauisque cupiditatibus haud irretiti, veri honeſtique amantes. Cuius interpretationis veritatem probaturus inprimis eo prouocat, quod formula: ποιειν το θελημα του θεου pluribus locis N. T. non modo virtutem, ſed etiam fidem (ſ. perſuaſionem) Chriſtianam complectatur (quippe quam Deus aeque ac virtutem, huic perſuaſioni accommodatam, atque ex eadem oriundam, poſtulat). — Similis eſt B. *Storrii* ſententia (in comment. praeſtantiſſima: über den Geiſt des Chriſtenthums, inſerta promtuario V. *Flattii:* Magazin für chriſtliche Dogmatik und Moral, erſtes Stück, p. 103 ſqq.), cui Ieſus c. 8. v. 17. hoc ſibi voluiſſe videtur: hominem, qui Deum animo probo et pio veneretur, certumque ceperit conſilium, voluntati divinae quouis pacto ſatisfaciendi, auctoritatem Ieſu Chr. eiusque doctrinae diuinam eo facilius argumentis idoneis (v. c. indole Ieſu Chr. morali accuratius ſpectanda et examinanda, v. 18.) agnoſcere, eoque lubentius amplecti, quo certius conſtituerit, ea, quae numinis diuini conſiliis probe conueniant, aliis omnibus praeferre, ideoque argumenta illa ita examinare, vt ſolam veritatis vocem diuinam ſequatur, neque animum cupiditatibus prauis, voluntati divinae et veritati repugnantibus, patiatur occoecari. Vtrumque interpretem in eo mihi conſentientem habeo, quod Seruatorem v. 17.

docuisse iudicemus, quanam animi indole et conditione hominem gaudere oporteat, de diuina Iesu Christi eiusque doctrinae auctoritate recte sibi persuasurum. Aeque tamen patet, quanam ratione meum, quod fecerim, tentamen totius argumentationis, quam Iesus c. 7. v. 17. 18. proposuerit, explanandae atque illustrandae, a sententiis B. Storrii et V. Weberi discrepet. Illis quippe interpretibus Servator v. 17. eam animi indolem, quae ad diuinam eius auctoritatem probe agnoscendam sit necessaria, ita videtur commemorasse, vt ad *vniuersam* respiceret *de auctoritate illa diuina, eiusdemque argumentis atque criteriis idoneis quaestionem.* Mihi vero nexum atque seriem commatis 17. et 18. suadere monui, vt consilium huius effati ad eam animi indolem declarandam pertinuisse existimem, quae *illi potissimum diuinae Iesu Christi auctoritatis argumento, quod* v. 18. *e sanctissimo Seruatoris consilio atque studio, gloriae diuinae quouis pacto inter homines consulendi, depromtum videamus, probe intelligendo atque aestumando* maxime sit accommodata. — Ad meam explicandi rationem propius accedunt, quae a S. V. *Langio* (: das Evangelium Iohannis übersezt und erklärt, Neustrelitz, 1796. p. 234.) itemque ab Illustri *Paulo* (: philologisch-kritischer und historischer Commentar über das Evangelium des Iohannes, erste Hälfte, Lübeck, 1804. p. 371 seqq.) disputata legimus. Ille enim totam Iesu Chr. argumentationem c. 7. v. 17. 18. adhibitam his con-

tineri dicit: „quicunque voluntati diuinae (religi-
„onis meae praeceptis) obsequitur, quum ita faciat,
„sponte sentiat necesse est, vtrum praeceptis illis
„meo honori consulam, an Dei potius gloriam cu-
„rem inter homines promouendam, ideoque huius
„criterii ope intelligat, vtrum meo arbitrio doctor
„prodierim, an diuinitus fuerim ad homines lega-
„tus. Etenim, si quis honori eius consulit, qui
„ipsum legauit, profecto verax est, alienus a frau-
„dibus atque mendaciis. Mea igitur praecepta
„quum ad honorem Dei, cuius legatum me ap-
„pello, inter homines promouendum pertineant,
„patet inde, quo iure auctoritatem diuinam mihi
„vindicem.“ Quanquam nemo facile negaturus est, V. Langium argumentatione Iesu Chr. tali ratione explicanda orationis nexui intelligendo probe consuluisse, malim tamen equidem tribus potissimum de causis in ea, quam ipse proposui, interpretatione acquiescere, quum partim vocula θελῃ, si mea ratio probata fuerit, vim suam propriam commodius faciliusque seruet, partim in reliqua totius orationis serie nihil appareat, quod nos iubeat formulam v. 17. obuiam το θελημα του θεου ποιειν terminis angustioribus circumscribere, atque de obedientia religionis Christ. praeceptis praestanda interpretari, partim comma 17. sequenti nexu magis firmo atque facili iunxisse mihi videar. — V. *Pauli* verba, quibus totam sententiarum seriem (l. l.) amplius illustrat, ita se habent: „wer
„selbst das Gute mit redlichem Willen will, der

„hat am beſten jenes ſeine Gemerk, ob ein ande-
„rer in ſeinen Abſichten und Einſichten nur dem
„folgt, was er als gotteswürdig und von Gott ab-
„kommend, d. i. als wahrhaft gut anſehen kann,
„oder ob Abſicht und Inhalt niedrig-menſchlich,
„egoiſtiſch-perſönlich ſey. Wer in dieſem bösar-
„tigen Sinn aus ſeinem eigenen Selbſt heraus re-
„det, den entdeckt der Beſſerwollende, welcher
„gerne göttlich handelt, bald; denn jener ſucht
„ſein eignes Anſehen, iſt gierig nach dem Ruhme,
„daſs das Geſagte gelte, gerade weil er es geſagt
„habe. Dieſer aber, der zu ſeinem Endzweck
„das Anſehen deſſen hat, der ihn auftreten hieſs
„(Gottes), dieſer iſt und gilt gewiſs jedem, wel-
„cher göttlich handeln will, als wahr, ächt, nichts
„aus Nebenabſichten vorgebend; denn Unrecht
„handeln, die Quelle ſo vieles Lügens, liegt nicht
„in ihm.“ Eximie laetatus ſum, quum, poſtquam mihi de illa perſuaſiſſem loci tractati interpretatione, quam mihi probatam eſſe profeſſus ſum, comparando Ill. *Pauli* commentario intelligerem, nos vnam fere eandemque viam iniiſſe; neque niſi in eo huius interpretis partes quodammodo relinquo, quod parallelismum, qui formulas θέλειν του θελημα του θεου ποιειν et: ζητειν την δοξαν του θεου intercedat, praecipue ſpectandum exiſtimo, ideoque ſententiam verborum: εαν τις θελη το θελημα αυτου ποιειν accuratius ita malim definire, vt de eiusmodi homine intelligantur, qui Deum eiusque voluntatem quouis tempore cogitando, loquendo, agendo an-

te oculos habeat, de gloria Dei dictis omnibus factisque inter homines patefacienda atque promouenda perpetuo cogitans. (Der *Hauptbegriff* ist der Begriff eines Menschen, dessen Reden und Handlungen ganz von *religiösen Motiven* beseelt und geleitet werden; der überall mit freudiger Bereitwilligkeit dem göttlichen Willen gemäss zu reden und zu handeln, und so die Ehre Gottes zu verherrlichen strebt. Einem solchem kann die Göttlichkeit der Reden und Thaten Iesu, welche ebenfalls von diesem höchsten Princip geleitet werden, ohnmöglich entgehen).

Io. 8, 26.

Quanquam verba huius effati singula nullis laborant difficultatibus neque interpretatione multa indigent; admodum diuersa tamen fuerunt interpretum iudicia de nexu, qui singula huius commatis membra intercedat. Liceat paucis aliorum interpretum sententias potiores commemorare, iisdemque meum totius loci explicandi tentamen subiungere. Iudaeis Iesum v. 25. quis tandem esset? interrogantibus ipse iterum palam professus fuerat, se profecto talem esse, qualem se appellasset, et appellare soleret (Dei legatum, atque interpretem). Addit v. 26. πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλεῖν, καὶ κρίνειν, quae quidem verba fere omnes, quos contuli, interpretes (recte, opinor) de ampla illa atque larga

intelligunt, quae Iesu Christo suppetat, materie Iudaeos religionis verae virtutisque voci repugnantes suisque opinionibus praeconceptis, cupiditatibus, vitiisque indulgentes grauiter notandi atque reprehendendi [10]). Neminem quippe fugit,

---

10) Ingeniosa quidem apparet, sed paulo durior B. *Bolteni* ratio, qui verbo κρινειν h. l. vniuersam tribuit notionem: sententiam suam pronuntiare, opinionem proferre, verbis aliquid explicare et illustrare, seine Meinung, sein Urtheil, seine Erklärung über etwas sagen und mittheilen; ita vt vocab. πολλα ad ea referatur, quae Iesus etiamnum dicere *possit*, effatum illud (v. 25.) την αρχην, ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν vberius explicaturus. Proinde totam ρηαιν: την αρχην — αληθης ες ita vertit: der Erste (bin ich), wofür ich mich auch hiermit vor euch erkläre; euretwegen sollte ich mich hierüber weitläuftiger auslassen, aber mein Sender ist glaubwürdig genug etc. Quanquam dubio caret, praepos. περι sequente Genitiuo, loquendi vsu cum sacro tum profano permittente, ita posse intelligi, vt *commodum* rei hominisue, cuius causa aliquid fiat, significet; tamen duo potissimum argumenta me impediunt, quo minus in Bolteniana interpretatione acquiescam. Etenim (vt taceam, maiori simplicitate et facilitate eam gaudere verborum v. 25. την αρχην etc. interpretationem, quam alii iam commendauerint: idem plane s. profecto sum, quem me coram vobis profiteor), neque loquendi vsus neque sententiarum indoles atque series ex illa Bolteni versione oriunda ipsius coniecturam adiuuat. Nunquam memini vel sacros vel profanos scriptores eum fecisse vsum verbi κρινειν, vt notionem vniuersam του διδασκειν exprimeret. Neque Iesus, si illam, de qua Boltenus cogitat, sententiam in mente habuisset, ita simpliciter dixisset: πολλα εχω κρινειν, nulla *obiecti* του κρινειν notatione addita. Immo ipse vsus praepositionis περι facile ostendit, (si vulgarem loquendi vsum sequamur,) verbis περι υμων inesse *obiecti, ad quod κρισις illa pertineat, notationem*, quae nequeat

κρινειν centies dici eos, qui alios vituperio, atque poena dignos declarent atque iudicent. cfr. Matth. 7, 1. 2. ad Romanos 2, 1. Add. V. *Flattii* symbolarum ad illustranda grauiora quaedam Iesu dicta in euangelio Ioanneo pars I. p. 21. seqq. In eo tantum interpretes illos quodammodo discrepare video, quod alii Iesum verbis: πολλα εχω etc. ea innuere existiment, quae ipse, Iudaeorum peruersitatem notaturus, *re vera proferat*, et porro *prolaturus* sit (multa profecto mihi suppetunt, quae de vobis monere, in vobis notare debeam); alii haec de iis interpretentur, quae Iesus Iudaeos notaturus, si voluerit, iure meritoque dicere *possit* (multa quidem habeo, quae de vobis palam proferre, in vobis reprehendere *possim*). Vtra explicandi ratio ad veritatem propius accedat? facile docebunt, quae confestim de nexu differam mihi

---

recte desiderari. cfr. v. c. Acta App. 23, 6. 25, 9. Ipsam denique sententiam quod attinet, quam Boltenus verbis Iesu Chr. tribuit, ingenue profiteor, me parum intelligere, quo tandem iure et quanam de causa Iesus, qui concederet, effatum suum v. 25. propositum (eo sensu intellectum, quo Boltenus explicat): την αρχην etc. *Iudaeorum* adstantium causa vberius esse explanandum, confestim tamen haec addiderit: sed, qui me ad homines legauit, est veracissimus (fide dignissimus) etc.? Quodsi ipse sentiebat, Iudaeos accuratiori indigere illius effati: *equidem primus sum omnium*, interpretatione, quomodo tandem eos simpliciter potuit ad veracitatem Dei, doctrinae suae auctoris, ablegare, quum nihil eum impediret, quo minus illud την αρχην (hoc quidem sensu intellectum) accuratius explicaret?

quidem maxime probabili, qui membra huius commatis sequentia eiusdem initio iungat. Ceterum duplici de causa ad eorum partes accedere nequeo, qui vulgarem interpunctionem ita deserunt, vt, punctum vulgo post vltima v. 25. verba λαλω υμιν positum tollentes, verba: τὴν ἀρχὴν πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλεῖν καὶ κρίνειν propius connectant, reliqua: ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν parenthesin complecti iudicantes, hoc quidem sensu prodeunte: „omnino s. pro„fecto [id quod coram vobis libere profiteor] mul„ta habeo, quae de vobis dicere, atque in vobis „reprehendere possim.“ Premitur quippe haec interpretatio duplici potissimum incommodo, quum partim phrasis illa interiecta: οτι και λαλω υμιν (inprimis vocula καὶ post οτι) otiosa appareat et frigida partim verba Christi hoc modo intellecta atque explicata nihil contineant, quod illi Pharisaeorum quaestioni antea propositae: σὺ τίς εἶ; satis aptum et accommodatum possit videri. Praestat, vulgarem sequi interpunctionem, ita comparatam, vt verba: πολλα εχω etc. nouae periodi initium constituant. Quaeritur iam, quonam consilio, et, quanam cogitationum serie Iesus verbis sequentibus: ἀλλ' ὁ πέμψας etc. et ad veracitatem Dei, cuius legatus ipse inter homines appareat, prouocauerit, et sancte adfirmauerit, se nihil, nisi, quod a Deo patre acceperit, coram hominibus eloqui? (vix enim est, quod moneam, λεγειν εις τον κοσμον dici pro: λεγειν τω κοσμω, s. λ. εν τω κοσμω, vt apud *Marcum* 1, 39. κηρυσσειν εις τας συναγωγας pro κηρ. εν

ταις συν. et 5, 14. απαγγελλειν εις την πολιν pro απαγγ. τη πολει ſ. εν τη π.) Videmus interpretes quaeſtioni illi varie reſpondentes. Plures quippe (vt V. Lange in commentario laud. p. 264. ſq.) verbis: ἀλλ' ὁ πέμψας etc. cauſam proferri exiſtimant, quare Ieſus, etſi multa habeat de Iudaeis peruerſis monenda, plura tamen dicere nolit, quibus animo Iudaeis illis ſuccenſenti et indignanti ſatisfaciat: quanquam, ſi voluerim, multa poſſim in vobis (doctrinae meae pertinacia peſſima repugnantibus) acerbe reprehendere, abſit tamen, vt indignationi meae, iuſtae quidem, indulgeam, atque vos veſtramque peruerſitatem reprehendendo delecter! Immo nihil eloquar, niſi, quod a patre Deo accepi, qui me ad homines legauit; eſt enim ille veraciſſimus. Meum eſt, Dei mandatis loquendo et docendo obſequi; neque proprium ſequi arbitrium, et animi cupiditatem. Ingenue tamen profiteor, talem totius ſententiarum ſeriei explanandae rationem mihi quidem non amplius ſatisfacere. Non patet, quomodo Ieſus cauſam, quare Iudaeos perverſos nolit pluribus verbis notare atque caſtigare, inde potuerit repetere, quod nihil eloqui conſtituerit, niſi, quod a patre Deo ipſi traditum fuerit atque demandatum? Neque enim illa Iudaeorum reprehenſio voluntati atque conſiliis Dei aduerſari potuit (quum profecto ſanctiſſimum Dei conſilium homines per Ieſum in terram legatum rectius edocendi atque emendandi ſponte ſecum ferret, vt, quicunque opinionibus praeconceptis indulgerent,

malisque cupiditatibus, de erroribus suis, peccatis, vitiis edocerentur, et, quaecunque vituperio digna essent, palam ac libere notarentur [11]; neque Iesum aliis locis (vbi cum talibus agit doctrinae suae atque causae aduersariis, Pharisaeis potissimum, legisque interpretibus) tali causa videmus impeditum, quo minus illam animi peruersitatem summa orationis grauitate et efficacia castigaret. Quanquam recte concedimus, eiusmodi acerbam aliorum hominum reprehensionem, *quae animum prodat vltionis atque vindictae cupidum*, non posse numini sanctissimo probari, aliud tamen est, reprehendendis erroribus ac vitiis animo indignanti atque vindictam efflagitanti satisfacere, aliud, hominem notandum eo castigare vituperio, quod ex intimo veritatis, virtutis, religionis amore (i. e. sensu animi vere diuino) suam ducat originem, atque consilium sequatur (Deo probatissimum sanctissimumque) veritatis, virtutis, religionis studium inter homines promouendi. Neque vllum apparet in tota orationis serie vestigium, vnde colligi possit, Iesum illa dicentem: πολλα εχω περι υμων λεγειν και κρινειν, de eo cogitasse reprehendendi studio, quod e fontibus promanet inpuris. — Alii

11) cfr. *Io.* 9, 39. vbi Seruator ipse ingenue haec professus est: in terram veni, huius discriminis inter homines auctor futurus, vt coeci (ignorantiam suam sentientes) visum reciperent (edocerentur), at visu gaudentes (sibi sapientes) coeci apparerent. Add. *Io.* 16, 8. 9.

interpretes verbis: αλλ' ο πεμψας με etc. vnum illud contineri iudicant, quod Ieſus e *multis*, quae iam proferre poſſit Iudaeos notaturus, nunc potiſſimum eligendum exiſtimet. cfr. B. Roſenmülleri ſcholia in Ioannem p. 393. qui totum orationis nexum ita illuſtrat: „multa de vobis dicere poſſem vos no„taturus propter ingenii tarditatem et pertinaci„am; ſed hoc aduerſum vos pro hoc tempore ſuffi„ciat, quod ille, qui me miſit, in omnibus rebus „fide eſt digniſſimus, neque ego aliquid profero, „niſi quod ab illo dicendum accepi; vnde vos, fi„dem mihi denegantes, profecto eſtis inexcuſabi„les.“ Eadem fuit B. Mori ſententia (cfr. eius recitatt. in euangelium Io. ed. Dindorf, p. 148) ab iis verbis non aliena, quae B. Semmlerus in ſua ev. Io. paraphraſi (p. 292.) adhibet, orationis ſeriem circumſcribendo explicans. Similis appareret Ill. Pauli interpretatio, qui (in commentario ad Ioannem p. 437.) verſum 26. antecedenti commati, ipſiusque verſus 26. membra ſingula ſibi inuicem tali modo nectit: „aber dabey, was ich al„les bin, (v. 25) halte ich mich jezt nicht auf. „Denn ich habe für's erſte noch gar vieles, euch „betreffend, im Tone eines Beurtheilers zu reden. „Aber ſo viel muſs ich doch von mir noch ſagen: „ſo gewiſs der, welcher mich aufzutreten veran„laſste, der Wahrhafte, (Gott der Wahrheit) iſt, „ſo gewiſs rede ich das in die Welt hinein, worin „ich ſein Zuhörer (Schüler) geweſen bin.“ Haud inepte tamen adfirmare mihi videor (ad ipſum ſen-

ſum lectoris prouocando exegeticum), eam, quam B. Roſenmüllerus atque B. Morus et Semlerus commendauerint, orationis nexus explicandi rationem Paulinae interpretationi (quae lectorem plura iubeat ſubintelligere, verbis graecis non expreſſa) natiua quadam praeſtare ſimplicitate. Neque dubitarem, illorum ſententiae toto animo ſubſcribere, niſi mihi locum noſtrum iterata vice perluſtranti nuperrime alia oblata fuiſſet explicatio, quae ita comparata eſt, vt, hac probata et admiſſa, ſingula omnia nexu facillimo inuicem iuncta appareant, atque logica oppoſitionis ratio, quae membrum prius inter: πολλα — κρινειν atque poſterius: αλλ' ο πεμψας etc. intercedat, maiori perſpicuitate eluceſcat, neque vlla debeat ellipſis in ſubſidium vocari (niſi quod ſub finem v. 26. eam ſententiam tacite addamus, quam ſponte ſequi videamus concluſione neceſſaria). Quantum equidem intelligo, verba quidem priora v. 26. πολλα — κρινειν non tam ea ſignificant, quae Ieſus, ſi velit, dicere poſſit, quam, quae reuera et hucusque dixerit, et porro moniturus ſit, magnam Iudaeorum peruerſitatem reprehenſione iuſta notaturus; ea vero, quae ſequuntur: αλλ' ο πεμψας etc. *veritatem* atque *iuſtitiam huius vituperii* adfirmant, commemoranda Dei, cuius interpres Ieſus inter homines prodierat, veracitate. Audimus Ieſum ita disputantem: multa quidem habeo de vobis monenda atque iudicanda (in vobis reprehendenda); ſed profecto veraciſſimus eſt (Deus), qui me in terram legauit;

equidem vero, quae ab illo accepi, eadem (neque alia) hominibus trado (nolite igitur meam peruerſitatis veſtrae reprehenſionem, grauem ſane, ſaepiusque repetendam, iniuſtam exiſtimare, temerariam, ex arbitrio proprio profectam; immo Dei mandatis accommodatiſſima eſt, ideoque iuſtiſſima). In promtu eſt, Ieſum haec loquentem ad ea reſpicere, quae antea v. 21. 23. 24. monuerat. Poſtquam Iudaeis ſatis aperte annuntiauerat, fore, vt peccatis obnoxii morerentur, atque ita miſeri euaderent, quippe qui, quum huius ſaeculi peruerſi ingenium ſapiant, Ieſu Chriſti, legati atque doctoris diuini, auctoritatem agnoſcere nolint; illi v. 25. (tanquam ſi verba Ieſu v. 24. obuia, οτι εγω ειμι parum intellexiſſent) iterum ex eo: quis tandem eſſet? quaeſiuerant. His v. 25. et 26. ita reſpondet, vt partim denuo adfirmet, ſe profecto eundem eſſe, qualem ſeſe iam profeſſus fuerit, (legatum atque doctorem diuinum), partim Iudaeos ex ipſa veracitate Dei, cuius legatus prodierit, colligere iubeat, quo iure antea poenam grauiſſimam iis annuntiauerit, qui, opinionibus praeconceptis ſtudiisque peruerſis indulgentes, ipſius auctoritatem diuinam temere contemnant.

Io. c. 13. v. 34.

Quo propius Seruatori noſtro mortis ſupplicium inſtabat, eo maiori ſtudio curabat, vt ſuum

erga discipulos ipsi dilectos amorem verbis factisque declararet illum animi sensum luculentissime testantibus, iisdemque grauissimum amoris mutui, ex amore Dei atque Iesu Christi oriundi, officium sermonibus vltimis, a Ioanne diligentia praecipua notatis, sanctissime commendaret. Continetur hisce sermonibus effatum praestantissimum, cuiusque lectoris ea, qua par est, mentis indole talia persequentis animum mire capiens, atque eum Theologiae Christianae locum, qui ad principia illius, quam Iesus generi humano tradidit, morum doctrinae pertinet, luce collustrans benignissima: ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους· καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. „Praeceptum „nouum vobis propono, vt vos inuicem ametis, „tali quidem amore, quali ego vos complectar.“ Varie quaesiuerunt interpretes, sententiam loci accuratius inuestigantes, quo tandem sensu Iesus hoc praeceptum *nouum* appellauerit? Patet enim, vniuersum amoris hominum mutui officium neque Iudaeis, neque aliis hominibus ante Iesum viuentibus ita fuisse incognitum, vt, qui discipulis suis hoc officium iniungeret, recte dici posset praeceptum proponere nouum, nisi vel amorem commendaret plane singularem (cuius vis, ambitus, atque necessitas antea parum fuisset intellecta), vel praeceptum suum modo et ratione noua atque singulari proponeret. Licet diuersas interpretum sententias de vera huius epitheti καινὴν vi atque potestate prolatas ad duo potissimum genera reuocare, quum alios videamus

propriam verborum vim et significationem relinquentes, alios eandem accuratius sequentes, et, quo sensu hoc praeceptum nouum dici potuerit, varie explicantes. Discedunt a sensu verborum proprio, qui cum B. Semlero, Bahrdtio, aliisque sub ἐντολὴ καινὴ *praeceptum* intelligunt *inexspectatum*, eo prouocantes, quod eiusmodi mandatum discipulis Iesu Christi, haud raro magna honoris cupiditate agitatis, atque de sede prima in regno Messiano olim obtinenda concertantibus non potuerit non mirum apparere atque inexspectatum. Concederem, nisi alia plura exstarent euangelistarum testimonia, quae satis aperte doceant, Apostolos Iesu Chr. propter suam honoris externi cupiditatem a magistro iam saepius iterata vice ita fuisse notatos atque reprehensos, vt, quanquam Iesus eiusmodi praeceptum proponeret, quod illis Apostolorum studiis terrestribus prorsus repugnaret, minime tamen inexspectatum posset videri. Accedit, quod eundem amorem mutuum, modestiae amabili iunctum, ad salutem aliorum quouis pacto, etsi proprio fieri debeat incommodo, strenue adiuuandam paratissimum iam supra (v. 4. seqq.) exemplo praeclaro commendauerat. Maluerunt alii linguam hebraicam in subsidium vocare, ἐντολὴν καινὴν de *praecepto* interpretantes *praestantissimo*, quo sensu Hebraeos suum חָדָשׁ interdum adhibuisse exempla declarant, quae Ill. Rosenmüllerus iunior in scholiis laudat eruditis ad ψ. 33, v. 3. Quae quidem interpretatio maiori certe gaudet facilita-

tis laude, quam Bolteni coniectura (magis ingeniosa, quam vera), qui lingua Syriaca duce adiectiuo καινὴν vim atque potestatem aduerbii latini: denuo, iterum (πάλιν), expressam iudicat: iterum vobis hoc praecipio, vt amore mutuo vos complectamini. (Neque enim vocab. καινον apud Matthaeum 26, 29. obuium explicationis Boltenianae veritati demonstrandae sufficit, quum huius quoque effati alia suppetat eademque facilior interpretatio, neque alia adsunt eiusdem argumenta idonea, ex vsu linguae graecae depromta.) Eadem de causa B. Heumanno adsentiri nequeo, *praeceptum* intelligenti *vltimum*, quod Iesus discipulis illo tempore proposuerit, morituro similis, ita a suis discedenti, vt, quaecunque post ipsius obitum fieri velit, vel eloquatur, vel litteris curet consignanda. Quemadmodum omnino ii interpretes e mea quidem persuasione in explicandis locis singulis viam ingrediuntur verissimam atque tutissimam, qui proprias verborum significationes tamdiu seruandas existimant, quamdiu sufficiant eiusmodi sententiae inde eliciendae, quae principiis legibusque interpretationis logicae, psychologicae, atque historicae probe conueniat; ita huius etiam formulae εντολὴ καινὴ notionem propriam non prius deserendam iudico, quam nullum sententiae idoneae inde efformandae tentamen exegeticum bene successerit. Iam vero alii huius effati interpretes, cum antiquiores tum recentiores probe intellexerunt, non deesse causas iustas atque probabiles, quare Iesus hoc prae-

ceptum dixerit *nouum* [12]; *siue* eas voluerimus a *gradu* amoris mutui repetere, cuius seruandi officium suis iniungat sectatoribus (commendat quippe amorem ei similem, quo ipse suos complectatur, quo purior, sublimior, perfectior nullus esse potuit), *siue* a consilio Seruatoris, notionem amoris mutui, quem homo homini debeat, a temerariis vindicandi doctorum quorundam Rabbinicorum placitis, quae huius virtutis vim atque ambitum limitibus circumscribebant arbitrariis, *siue* e verbis v. 35. quibus haud obscure significat, inde potissimum intellecturos esse homines, quinam ad veros ipsius pertineant sectatores, quod amorem alant mutuum, qualem antea commendauerit (potuit quippe praeceptum propositum eatenus *nouum* appellari, quatenus amoris officium Iesu Chr. sectatoribus tanta vi et grauitate iniungebatur, vt virtus illa praestantissima tanquam *nota interna* poneretur Christiani veri certissima, cui locum cedere deberent, quaecunque in oeconomia religionis

12) Ipsum quoque Ioannem apostolum verba Christi εντολην καινην διδωμι υμιν ita fuisse interpretatum, vt vim vocabuli καινην sequeretur propriam, locus declarat epist. 1. c. 2. v. 8. vbi auctor, ad nostrum euangelii locum absque dubio respiciens, quanquam (ex mea quidem persuasione) non solum praeceptum de amandis aliis intelligens, de doctrina, quam tradit, ita loquitur: πάλιν ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν etc. Vocem quippe καινην h. l. non posse alio, quam proprio sensu intelligi, inde patet, quod εντολη καινη opponatur τῃ παλαιᾳ vs. 7. commemoratae. cfr. B. Mori praelectiones exegett. in tres Ioannis epistolas p. 14. 15.

Mosaica tanquam *externa* et *ritualia* veri Iehouae cultoris signa atque criteria hucusque viguissent): cfr. B. *Mori* recitatt. in ev. Io. p. 244 seqq. V. *Rosenmülleri* scholia ad Io. p. 480. seqq. V. *Tittmannus* in meletematibus in eu. Io. p. 496. seqq. V. *Lange* in comment. p. 371. V. *Stolzius* in l. Erläuterungen zum neuen Testament, zweytes Heft p. 167. 168. V. *Knappius* in opusculis p. 389. Ill. *Kuinoelius* in commentario ad h. l. et *Breitenstein* in libro: das Evangelium Iohannis übersezt mit Erläuterungen, Marburg, 1813. p. 312. sqq Equidem, quo diutius locum intueor, eo certius mihi persuadeo, ad soluendam quaestionem varie agitatam: quae tandem illa sit, de qua Iesus cogitauerit, huius praecepti *nouitas?* symbolam conferri posse haud contemnendam, comparando nostro loco iis ceterorum euangelistarum narrationibus parallelis, quae ad vltimam coenam Paschalem a Iesu et Apostolis celebratam, atque sermones eo tempore institutos pertineant. Discimus quippe e Matthaeo (26, 28.) Marco (14, 29.) atque Luca (22, 20.) Seruatorem in hac Paschali coena vltima eo tempore, quo panem atque vinum inter Apostolos distribueret, *foedus nouum* (διαθηκην καινην) commemorasse ipsius sanguine sanciendum i. e. nouam religionis oeconomiam, Mosaicae (antiquae) eo quidem similem, quod pariter atque illa foederis vteretur forma et imagine, eadem vero pluribus de causis praestantiorem, perfectiorem, ipsius morte, quae iam proxime instaret, rite confirman-

dam. Quemadmodum Ioannem in toto commentario de Iesu Christi factis sermonibusque componendo ita versatus est, vt iis, quae ceterorum euangeliorum auctores litteris consignassent, veluti supplementa adderet (omissis, quae ceteri iam satis accurate exposuissent); ita etiam in enarrandis sermonibus vltimis, Iesum inter atque apostolos in coena Paschali institutis, eandem methodum sequutus est, omittendis quidem iis, quae apud Matthaeum, Marcum atque Lucam locis parallelis tradita legimus, addendis vero et copiosius pertractandis aliis Iesu Chr. dictis insignibus eodem et tempore et loco pronuntiatis. Quodsi ea potissimum, quae Matthaeus 26, 20 — 29. Marcus 14, 17 — 25. Lucas 22, 14 — 22. exhibuerunt, cum Io. c. 14. contulerimus, facile intelligemus, eam huius sermonis vltimi partem, quam Ioannes 14, 33 seqq. tetigerit, temporis ratione habita illis esse iunctissimam, quae Iesus apud Matthaeum, Marcum, et Lucam, dum ipse vna cum discipulis mensae accumberet, de illo foedere nouo, quod morte sua esset sanciturus, monuisse dicatur. Quae cum ita sint, vim atque potestatem verborum Christi apud Ioannem existantium εντολη καινη haud inepte mihi ex illa phrasi, locis parallelis obuia, διαθηκη καινη illustrare videor, ita vt Iesus praeceptum de amore mutuo propositum ea praecipue de causa, *nouum* appellasse putetur, quod *legi antiquae Mosaicae* (εντολη παλαια) *quodammodo opponeret.*

(Vix enim est, quod moneam voc. εντολη etiam ad Mosaica transferri praecepta. cfr. Matth. 19, 17.) Quanquam sanctissimum alios amandi officium Mosaicis quoque praeceptis grauitate magna commendatum fuerat; aeque tamen patet ea, quae Iesus de huius officii sanctitate dixerit, triplici potissimum ratione ab effatis legis Mosaicae omnino discrepasse, quum Iesus *partim* eiusmodi amorem suis discipulis iniungeret, qui et ambitu suo et vi interna atque efficacia multum praestaret amori minus perfecto, qualem lex Mosaica commendauerat, (cfr. Matth. 5, 43. 44.) *partim* sanctitatis huius officii causam a suo ipsius repeteret exemplo, *partim* amorem illum purum et perfectum societatis cultorum suorum notam exstare vellet atque criterium certissimum. Quemadmodum Iesus doctrina sua atque morte *foedus nouum* pangebat et sanciebat, quod *homines cum Deo* essent inituri, praestans foederi Mosaico, eamque vim habiturum, vt homines numini sanctissimo propius coniungeret, verae virtutis animique tranquillitatis praesidia saluberrima suppeditando; ita, antequam terra discedebat, *legem* quoque *nouam*, nouo illi foederi iunctissimam, suis scribebat sectatoribus, legi Mosaicae (antiquae) multum praestantem, eamque vim habituram, vt Christiani ipsi amoris vere fraterni atque perfectissimi foedere iungerentur mutuo, sancto, aeternum valituro. Quodsi haec formularum διαθηκη καινη atque εντολη καινη comparatio

probata fuerit, ex meo quidem ſenſu noſtrum ſermonem inter (apud Io. obuium) atque illa Matthaei, Marci, et Lucae loca antea laudata parallelismus exiſtit perfectiſſimus, atque eiusmodi mutua ſententiarum ratio et ſeries, quae ipſi horum effatorum interpretationi lucem contingere iubeat idoneam [13]). Foederi nouo, cuius vim atque ambitum Ieſus apud Matthaeum, M. et L. non tantum verbis declarauerat, ſed etiam actu illo ſanctiſſimo illuſtrauerat, quum panem atque vinum inter diſcipulos distribueret, egregie reſpondet huius legis nouae commemoratio, cuius vim atque efficaciam ipſius auctor (13, 4 ſeq.) actu pedilauii ſymbolico conſpicuam reddiderat.

---

13) Dort (bey Matthaeus, Markus, Lukas) ſtiftet Jeſus einen *neuen Bund* zwiſchen Gott und den Menſchen — hier — ein *neues Geſetz* (ein höheres, vollkommneres Princip der Pflichten) für die Menſchen (und dadurch zugleich einen neuen, vollkommnern, ewigen Bund zwiſchen den Menſchen ſelbſt). Wie genau hängt beydes zuſammen! Der neue Friedensbund zwiſchen Gott und den Menſchen ſoll auch die Menſchen inniger vereinen — das wiederhergeſtellte kindlich-hoffende und kindlich-liebende Vertrauen zu Gott ſoll Hand in Hand mit höherer Menſchenliebe gehen — ewige und vollendete Harmonie im Gottesreich!

Commentatio Tertia.

De consilio, quo Iesus miracula ediderit, ex iis Christi effatis, quae hac in re praecipua sunt, recte cognoscendo. *)

*) Edidi hanc commentationem, auctoritate Ordinis Theologorum Lipsiensis, eumque examini publico subieci, pro licentia summos in Theologia honores consequendi, inter sacra Academiae Lipsiensis saecularia, d. VI. et VII. Decembr. MDCCCIX.

Prolegomena.

§. 1.

Nulla facile controuerſia exegetico - dogmatica inter Theologos recentiores (duobus potiſſimum vltimis, quae elapſa ſunt, decenniis) acriori ſtudio agitata eſt, atque maiori inſeruiit ſententiarum diuerſitati in lucem proferendae, quam illa, quae *de conſilio* inſtituta eſt, *quo Ieſus miracula ediderit*, disputatio. Quod olim fere vnanimi Theologorum conſenſu probatum fuerat, facta illa inſignia, ipſo Deo ita volente, ea de cauſa a Seruatore eſſe edita, vt veritatis doctrinae religionis a Chriſto traditae, eiusdemque legationis diuinae comprobandae atque demonſtrandae argumenta exſtarent luculentiſſima, inter omnes homines aeternum valitura; id neminem fugit recentiori aetate varias ſubiiſſe Virorum Doctorum dubitationes. Etenim (vt diuerſa eorum inter-

pretum tentamina silentio praeteream, qui omnino negauerunt, vnquam eiusmodi facta a Iesu esse edita, quae e manifestis cognitisque naturae legibus ac viribus explicari nequeant) inter eos, qui Seruatorem talium factorum auctorem recte agnoscunt, plures tamen simpliciter adfirmarunt, eum miraculis nullam omnino vim concedi voluisse, vel doctrinae, quam traderet, veritatem, vel diuinam eius legationem comprobandi, neque nisi hoc egisse, vt homines eiusmodi factis edendis partim ad personam suam attentos redderet, partim ad sermones suos alliceret audiendos. Maluerunt alii viam ingredi mediam, *vel* ipsius doctrinae veritatis demonstrationem (nunquam factis, quae edita fuerint, insignibus proxime adnectendam) ab auxilii diuini, quod Iesum et docentem et agentem iuuerit, comprobatione e miraculis depromta accuratius distinguentes, *vel* totum, quo Iesus miracula ediderit, consilium ad solos Iudaeos referentes (quippe qui Messiam exspectarent eiusmodi factis dignitatem suam Messianam comprobaturum), *vel* denique in eo acquiescentes, quod Seruatorem fidem doctrinae suae habendam per miracula minime fundari sed fundatam confirmari voluisse contenderent. (Cfr. inprimis egregia S. V. Nitzschii commentatio: quantum Christus tribuerit miraculis, Viteb. 1796.) Cuius sententiarum diuersitatis causa grauissima exstitit partim interpretationis locorum scripturae sacrae (qui ad consilium, quo Iesus miracula edi-

derit, ex ipsius dictis cognoscendum in subsidium vocari solebant) partim Philosophiae placitorum indolis vsusque diuersitas. Quemadmodum enim cum Theologiae dogmaticae compendia, tum commentarii exegetici haud pauca vnius eiusdemque scripturae sacrae effati, ad sententias de consilio miraculorum a Christo editorum sibi inuicem plane contrarias defendendas adhiberi soliti, exempla nobis suppeditant; ita recentior docuit Theologiae historia, illam potissimum philosophandi rationem, quae ab eo inde tempore exstiterit, quo B. Kantius Philosophiam noua luce collustrasset, opportunitatem ansamque praebuisse controuersiis variis partim de notione et existentia, partim de consilio, pretio, vsu miraculorum excitatis. Quo magis Theologum decet, in tanta sententiarum, quae ad partem doctrinae Christianae satis grauem ceterisque huius religionis placitis iunctissimam pertinent, diuersitate et vicissitudine nihil negligere, quod ipsius persuasionem apte dirigat et stabiliat; eo grauius mihi quoque ducebam officium, viam indagandi, quae ad controuersiam de consilio, quo Iesus facta insignia ediderit, componendam sit aptissima. Huius autem quaestionis recte soluendae et omni ex parte illustrandae ratio nulla tutior visa est, quam diligens et accurata omnium, quae e dictis factisque Seruatoris appareant, huius rei vestigiorum collectio et contemplatio, quae sola sequatur verae librorum N. T. interpretationis principia, sibique probe caueat,

ne forte huius illiusue vel Theologorum vel Philoſophorum familiae decretis placitisque capta, veram locorum N. T. huc ſpectantium ſententiam peruertat et detorqueat. Liceat mihi, eam animi perſuaſionem, quae mihi talem viam ingreſſo ſenſim ſenſimque ſubnata fuerit, accuratius exponere, expoſitamque Virorum Doctorum examini ſubiicere.

§. 2.

Totius quaeſtionis *de conſilio, quo Ieſus miracula ediderit, e veſtigiis, quae in ipſis Ieſu Chriſti ſermonibus obueniant, recte cognoſcendo* excitatae ea eſt indoles atque natura, vt ſolui et illuſtrari accurate nequeat, niſi quis ante omnia *de notione miraculi biblica* recte conſtituenda cogitauerit. Quanquam vero neque Ieſum, neque Apoſtolos vnquam de ambitu huius notionis eiusdemque terminis ſubtilitate philoſophica videmus differentes (quae quidem disputatio a docendi genere, quo vtebantur, populari remota fuiſſet atque aliena); minime tamen veſtigia deſideramus, quae de eo nos edoceant, cuiusnam generis illa ſint facta, a Ieſu et Apoſtolis edita, quae in libris N. T. σημεια, τερατα, θαυμασια, δυναμεις appellari ſoleant. Quemadmodum enim ipſa haec vocabula (quibus hebraica מוֹפֵת, פֶּלֶא, גְּבוּרוֹת, אוֹת, reſpondent) vi ſua et ſignificatione propria eiusmodi euenta ſ. facta innuunt, quae admirationem

ſummam excitant, efficaciam praecipuam arguunt, et ita comparata ſunt, vt aliud quid ſignificent (alius cuiusdam rei documento inſeruiant ſ. teſtimonio); ita huic notioni paulo latius patenti accuratius circumſcribendae alia quaedam conſulunt praeſidia in libris N. T. (hiſtoricis potiſſimum) ſuppeditata. Intelligimus quippe *partim* ex ipſa factorum inſignium, quae miracula dicuntur, in N. T. enarratorum indole, *partim* ex iis, quae ſcriptores N. T. hiſtorici, vbi eiusmodi facta enarrant, haud raro addunt de hominibus, qui miraculis ſpectatores interfuerant, in admirationem ſummam coniectis, et ſingulare Dei auxilium, quod miraculi auctorem adiuuerit, agnoſcentibus, *partim* e locis, vbi legati diuini vel in edendis miraculis, vel, iisdem iam editis, auxilium diuinum inplorant, oculos animo grato ad Deum tollunt, et facta ſua Dei opera per ipſos patrata appellant, hanc eſſe *notionem miraculorum*, qualia legati diuini edant, *biblicam*, *vt res geſtae* ita dicantur, *atque facta, quae ſenſibus pateant, a conſuetudine naturae vitaeque humanae plane ſint aliena, admirationem ſummam excitent, fiantque Deo volente, hominem illa edentem auxilio ſingulari iuuante, eiusdemque auctoritatem his factis comprobante.* Quas quidem notas ſingulas fuſius perſequerer, veſtigiis omnibus, quae doceant, his potiſſimum notionem miraculi contineri biblicam, accuratius enumerandis, niſi totam quaeſtionem aliorum ſcripturae ſacrae interpretum peritiſſimo-

rum opera ac ſtudio egregie viderem illuſtratam atque explanatam [1]).

3.

Quodſi iam *de conſilio* quaeritur, *quod Ieſus in miraculis edendis fuerit ſequutus, ex ipſa ſcriptura ſacra recte cognoſcendo;* ſponte patet, ante omnia *indicia ſingula* apte eſſe conſtituenda, e quibus conſilium Seruatoris poſſit eluceſcere. Poſſunt autem haec indicia *vel* ita erui, vt ipſam factorum inſignium, quae in libris N. T. enarrata

---

1) Cfr. B. *Reinhardi* commentatio praeſtantiſſima: vtrum ad iudicium de miraculis requiratur vniuerſae naturae accurata cognitio? in eiusdem opuſculis academicis nuperrime collectis Volum. Imo (inprimis p. 162—166.). *Zobel* de notione miraculi diuini biblica, Vit. 1797. 4. *Ammon* duae commentatt. de notione miraculi, Gottingae, 1795. 97. 4. Praeterea de notione biblica atque conſilio miraculorum nonnulla paſſim obſeruata leguntur a B. *Seilero* in commentatione lectu digniſſima: über die Beſchaffenheit, Zwecke, und Wirkungen der bewundernswürdigen Thaten Jeſu und ſeiner Apoſtel, nach deſſen Tode mit einer Vorrede und Anmerkungen herausgegeben von D. *Roſenmüller* in *Tzſchirners* Memorabilien für das Studium und die Amtsführung des Predigers, Erſter B. 1. St. Leipzig, 1810. 8. Ceterum libelli mei lectores rogatos cupio, vt, ſi forte in iis, quae ſupra diſputauimus, aliquid deſiderauerint, quod nonnullis quaeſtionibus cohaereat, de vi atque natura miraculorum recentiori aetate inter Philoſophos atque Theologos excitatis, hoc perpendere velint, conſilium meum ad *ſolam biblicam* miraculorum, qualia legati ediderint diuini, notionem definiendam pertinuiſſe.

appareant, indolem accurate contemplemur, nullo partium ſtudio capti et ſeducti, illamque indolem accurate ſpectatam conſilio comparemus primario, quod Seruatorem in ceteris omnibus, quae partim doceret, partim faceret, ſequutum fuiſſe nouimus; *vel* ex vniuerſa agendi ratione colligi, quam Ieſus in miraculis edendis tenuit; *vel* ex iis, quae miracula Chriſti, teſtantibus libris ſacris, inter homines illius aetatis, Ieſum docentem audientes, agentem videntes, effecerunt repeti (ita quidem, vt ſimul de eo videamus, num Ieſus aperte aut tacite ſignificauerit, talem miraculorum efficaciam ipſius votis et exſpectationibus eſſe accommodatam?); *vel* denique iis effatis colligendis comparari, quibus Seruator ſuam de pretio atque conſilio factorum inſignium ſententiam aperte profeſſus eſt. Iam, quod illam quaeſtionem attinet, cuius mentionem primo loco iniecimus: liceatne conſilium, quo Ieſus miracula ediderit, ex ipſa horum factorum indole atque natura, conſilio omnium Seruatoris dictorum factorumque primario comparata, recte intelligere? facile quisque videt, talem argumentandi et disputandi rationem profecto ita eſſe comparatam, vt, niſi quis aliunde iam intellexerit, quid et quantum Ieſus miraculis tribuerit, facile poſſit in periculum incidere, in quaeſtione illa pertractanda ſuum potius ſequendi arbitrium, quam ſcripturam ſacram. Quanquam enim partim de indole horum Ieſu Chriſti factorum inſignium tan-

tum, quantum sufficit, cognoscimus (quis enim neget, nisi vim inferat scripturae sacrae verbis, facta fuisse insignia, a consuetudine naturae vitaeque humanae aliena, benefica, singulare Dei auxilium testantia?), partim dubio caret, finem primarium, qui omnia Iesu Christi dicta et facta regeret, ad homines pertinuisse vera religionis cognitione animique emendatione ad felicitatem verissimam, eamque aeternam, perducendos; ipsius tamen nexus, qui illam miraculorum indolem huic fini primario coniungat, inuestigatio ponit profecto (si quis sola vtriusque rei comparatione rem conficere voluerit) explicationem accuratam quaestionis philosophicae: quid et quantum omnino demonstrare valeant miracula? Huius autem quaestionis (recentiori potissimum aetate inter Theologos atque Philosophos multum agitatae) ea est natura atque indoles, vt nemini possit mirum videri, quod admodum varia prodierint de vi probandi, quam miraculis omnino concedere liceat, iudicia (aliis concedentibus, effati cuiusdam aut doctrinae propositae veritatem factis insignibus per se spectatis immediate comprobari, aliis hoc tantum largientibus, miraculis indicia contineri haud obscura auxilii diuini, hominem quendam eiusque causam adiuuantis, aliis vtrumque negantibus; singulis eiusmodi argumenta sententiae, quam tuerentur, proferentibus, quae e certa quadam miraculi notione, ex omni cognitionis humanae natura, eiusque legibus ac ter-

minis, vt verbo dicam, e principiis philosophicis depromerent.) Iam nemo quidem, opinor, negaturus est, nec voluisse nec potuisse Seruatorem de eiusmodi re miraculis probanda cogitare, quae tali modo re vera probari nequeat. Attamen, quum Viros Doctos pro ipsa principiorum, quae sequuntur, diuersitate in partes admodum diuersas videamus abeuntes, si quaestio illa philosophica: quo tandem ea, quae miraculis inhaereat, demonstrandi vis pertineat? excitata fuerit, soleantque singuli sua, quae huc pertineant, iudicia atque placita ita defendere, vt eadem cum effatis scripturae sacrae conciliare studeant; haec ipsa docet experientia, talem de consilio, quo Iesus miracula ediderit, disputandi methodum facile posse Theologos ad arbitrariam seducere locorum N. T. interpretationem. Tutiorem igitur viam ingreditur, quicunque ante omnia alia vestigia satis perspicua, in sermonibus factisue Christi obuia, vnde consilium eluceſcat, quo Iesus miracula ediderit, absque omni partium studio inuestigat atque colligit, seponens interea quaestionem vniuersam philosophicam: quantum omnino possit eiusmodi factis insignibus effici? Quodsi iusta, legibusque hermeneuticis accommodata locorum N. T. qui huc pertineant, interpretatio indicia, quae innuo, nobis monstrauerit; partim illius disputationis philosophicae, partim comparationis, ipsam factorum Seruatoris insignium indolem inter atque naturam, et finem totius Iesu

Christi vitae ac prouinciae primarium instituendae vsus fiet quaestioni exegetico-theologicae: quonam consilio Iesus miracula ediderit? amplius illustrandae egregie consulens. Quod porro ea attinet huius rei vestigia (in euangeliis obuia), quae *secundo* ac *tertio* loco posuimus; sponte patet, quali nexu atque serie quaestioni, quam mouimus, cohaereant. Quis enim est, qui negaturus sit, rationem et modum, quo quis negotio fungatur ipsi demandato, haud obscura continere consilii agentis indicia? Multum profecto valeat necesse est ad finem, quem Iesus in miraculis edendis ante oculos habuerit, accuratius cognoscendum, de eo potissimum videre: vtrum et quando, vel sponte, vel ab aliis prouocatus atque excitatus, miracula ediderit? vtrum quouis tempore votis hominum facta insignia postulantium satisfecerit, an interdum eiusmodi vota vituperauerit, nolueritque iis indulgere? vtrum miracula patrata quouis tempore et loco palam innotescere voluerit, an subinde ipse prohibuerit, quo minus fama horum factorum diuulgaretur? qualem animi sensum et adfectum erga Deum atque homines miraculis edendis declarauerit? Neque vero, dum hisce vestigiis insistimus, ea sunt negligenda, quae e locis eluceſcunt, vbi scriptores euangeliorum docent, qualem efficaciam miracula Christi in homines illius aetatis exseruerint, qui vel ipsi horum factorum vim beneficam experirentur, vel testes eorum adessent oculares, vel rumo-

re atque fama, qualem quantumque virum Ieſus ſe praeſtitiſſet, cognoſcerent. Declarant quippe locis pluribus, ciues Ieſu Chriſti atque populares, aliosue homines, quos partim docens adiiſſet, partim facta edens inſignia, hisce factis excitatos, in admirationem ſummam coniectos, Ieſum ſequutos fuiſſe atque comitatos, eum prophetam praedicaſſe omnibus, qui vnquam fuerint, maiorem, laudibus Deum celebraſſe, qui virum tantae poteſtatis prodire iuſſerit, Meſſianam Ieſu dignitatem agnouiſſe, ipſius ſermonibus aures praebuiſſe obſequioſas et attentas, eiusque doctrinam toto animo et pectore eſſe amplexos. Quodſi inſuper doceri poteſt, Seruatorem tales σημειων effectus vel exſpectaſſe atque poſtulaſſe, vel tacite comprobaſſe, licet inde profecto ſatis apta colligere indicia conſilii, quod Ieſus miraculis edendis inter homines conſequi voluerit. Verum, etſi haec ſingula (probe collecta et adhibita) haud parum conferant ad eam, quam excitauimus, quaeſtionem expediendam, atque illuſtrandam; neminem tamen facile latebit, huius etiam generis veſtigia ſubinde ambiguitate quadam laborare, ex ipſa breuitate, qua euangeliſtae vſi fuerint, oriunda. Fecit quippe haec narrationis breuitas, qua ſcriptores illi nonnulla eorum tetigerunt, quae ad modum pertinent, quem Ieſus in miraculis edendis tenuerit, vt interpretes iis potiſſimum locis, vbi talia tanguntur, iudicia admodum diuerſa proferrent, de cauſis disputantes, quae Ieſum mouerint, vt ita faceret (quare v.

c. ab hominibus aegrotis per ipsum sanari cupientibus πίστιν postulauerit, aut, quid fuerit, quod interdum miracula ab ipso edita silentio premi vellet, aliis contra locis temporibusque homines ad facta illa diuulganda ipse prouocaret?) Eiusmodi quaestiones haud raro ita sunt comparatae, vt, nisi iam aliunde constet, quale consilium Iesus miraculis edendis consequi voluerit, nequeat certi quid de his constitui. Quae quum ita sint, praestat, opinor, veram consilii factorum Seruatoris insignium cognitionem confestim ex iis depromere effatis, quibus ipse sententiam suam aperte professus est. Hisce igitur dictis classicis ita vtamur, vt, dum de vera Iesu Christi sententia et persuasione (ope interpretationis iustae neque vllo partium studio ductae) inde eruenda videamus, cetera quoque eiusdem rei vestigia in subsidium vocemus. Talem quippe viam ingressi facillime cauebimus, ne forte vel ambiguitate, cui nonnulla huius generis vestigia sint obnoxia, ad arbitrariam eorum Iesu Christi dictorum, quae hac in re primaria et classica appareant, interpretationem seducamur, vel aliquid ex iis omisisse videamur, quae ad argumentum, quod tractaturi simus, illustrandum, nisi plurimum valeant, symbolas tamen haud contemnendas conferant. Liceat haec Seruatoris effata primaria ad duo potissimum reuocare genera. Videmus eum partim vniuerse ad ἔργα sua atque miracula prouocantem, et, quaenam inde cognosci debeant, atque intelligi, satis aperte declarantem,

partim de singulis, quae edidit, factis insignibus alios edocentem, quidnam eiusmodi facta significare, nuntiare, comprobare, quonam animum conuertere, qualem sensum et adfectum excitare debeant. Ipsum disputationis nostrae consilium exigit, vt de vtroque genere separatim videamus.

CAPUT PRIUS.

De iis exponens effatis classicis, quibus Seruatorem vniuerse ad ἐργα sua atque miracula videmus prouocantem, et, quaenam inde cognosci debeant, aperte declarantem.

§. 4.

Ac primum quidem cuiuis euangeliorum lectori, ea effata inuestiganti, *quibus Seruator ad ἐργα sua atque miracula vniuerse prouocat*, sponte locus sese offeret, qui prae aliis multis perspicuitate eminet, in *euangelio Matthaei* obuius c. 11, v. 2 — 6. (coll. *Lucae* loco parall. 7, 18 — 23.) Postquam Ioannes baptista in custodiam coniectus facta Iesu Christi insignia [2]) (τα ἐργα του Χριστου, cfr.

2) Vbb. ἐργα Χριστου h. l. non posse aliter intelligi, quam de factis Iesu Christi insignibus (miraculis), inprimis inde patet, quod apud Lucam loco parall. c. 7. v. 18. verbis: καὶ ἀπήγγειλαν Ἰωάννῃ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ πάντων τούτων eadem historia narrationibus factorum insignium a Iesu editorum (v. 1 — 17. comprehensis) proxime adnectitur. Nolim cum D.

v. 2.) audiendo cognouerat, duos e coetu discipulorum ad Iesum ablegauit, quaestionem ei proposituros, vtrum ipse esset Messias promissus, an alius exspectandus? Iam quum Seruator eo tempore, quo Ioannis baptistae legati ipsum adirent haec interrogantes, aegrotos multos benefice sanaret (Lucae 7, 21.); consultissimum existimabat, quaestioni propositae ita respondere, vt discipulos illos facta sua et opera iuberet intueri: πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ, ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε. τυφλοὶ ἀναβλέπουσι καὶ χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται· καὶ μακάριός ἐστιν, ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί: *ite renuntiatum Ioanni, quae auditis et videtis. Coeci visum recipiunt, claudi gressum, leprosi corporis puritatem, surdi auditum, mortui vitam, miserisque doctrina salutaris traditur. Beatus est, qui me non offenditur.* Neminem fugit, de causa, quare Ioannes e Iesu quaeri voluerit, vtrum ipse esset Messias, an alius exspectandus? non vna eademque ratione iudicasse interpretes. Quaesiue-

---

Starkio in paraphrasi et commentario in eu. Io. capita 13 — 17. (Jenae, 1814.) excursu I. p. 6. adfirmare, ex hoc loco argumentum ad eam vocab. ἔργα significationem, qua miracula innuat, propterea erui non posse, quod Iesus ipse in seqq. praeter sanationes miraculosas το εὐαγγελίζεσθαι quoque in numero των ἔργων habuerit. Voce enim ἔργα Christus Matth. 11, 4. 5. omnino non vsus est, immo formulam adhibens ampliorem ad ea pronocauit, quae discipuli Ioannis baptistae audire et videre possent.

runt enim, vtrum Ioannes ipſe de dignitate Ieſu Meſſiana illo tempore ita dubitauerit, vt luculento indigeret ipſius Seruatoris teſtimonio, perſuaſionem illam confirmante (quam ſententiam olim pluribus probatam recentius a Thieſſio iterum videō commendatam in libro: neuer kritiſcher Commentar über das N. T. Vol. I. S. 118. itemque a B. Loefflero: Magazin für Prediger T. I. p. 1. Herdero: chriſtliche Schriften zweyte Sammlung, Riga, 1796. V. Ammonio in progr. de doctrina et morte Io. baptiſtae, Erlangae, 1809.)? an potius quaeſtionem illam proponendo et aliquam de dignitate Ieſu Chriſti dubitationem ſimulando Seruatorem inpellere voluerit, vt paulo citius et feſtinantius dignitatem ſuam omnibus iuberet innoteſcere, et argumentis confirmaret grauioribus ipſumque Ioannem a vinculis liberaret? (cfrr. *Angli* cuiusdam commentatio docta: a diſſertation on the meſſage from St. John the Baptiſt to ons Savions St. Luke 7, 19. with remarks on the hiſtory of his life and miniſtry by Charles William Batt. London, 1789. *Michaelis* in adnotationibus ad h. l. *Grimm* et *Muzel* in libro: Stromata, zweytes Bändchen, 6tes Stück, p. 210. ſſ.) an denique (vt plurimis viſum eſt) non ſui ipſius ſed diſcipulorum cauſa hos nuntios ad Ieſum legauerit, vt iis ſectatorum ſuorum, qui de Meſſiana Ieſu dignitate dubitarent, eadem firmius perſuaderetur? Qui Ioannem in vincula coniectum Meſſianam Ieſu dignitatem in dubium vocaſſe exiſtimant, va-

riis premuntur difficultatibus. Neque enim patet, quomodo tandem fieri potuerit, vt firmissima Ioannis de dignitate Iesu Messiana persuasio, cuius ipse testimonia protulisset grauissima (Io. 1, 29 — 34. 3, 26 — 36. coll. Matth. 3, 15 — 17) labefactaretur [3]) (quum Iesus hucusque non tantum nihil fecisset, quod illam Ioannis persuasionem posset euertere, sed etiam plura [4]) eademque satis insignia dignitatis suae edidisset documenta); neque ea, quae v. 7 — 19. sequitur, Iesu Christi oratio, Ioannem magnopere commendans, cum eiusmodi sententia de consilio quaestionis a Ioanne propositae satis apte potest conciliari. Postquam discipuli a Ioanne ablegati discesserant, Iesus multitudinem congregatam de Ioanne (v. 7.) ita admonuit: τί ἐξήλθετε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι; κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον; *quid spectaturi in loca deserta exiistis? arundinemne a vento agitatam?* Cuius effati inter-

3) Quod nonnulli causam, quare Ioannes Messianam Iesu dignitatem in dubium vocare potuerit, e luctu petierunt atque tristitia, qua captiuitas diuturna ipsius animum adfecerat, quantum equidem sentio, facilius sufficeret, si partim minus firma fuisset Ioannis persuasio (ex ominibus diuinis oriunda, sanctissimisque huius viri studiis et consiliis iunctissima), partim animum aluisset minus constantem et intrepidum.

4) Ipsi, opinor, euangeliorum scriptores, Matthaeus atque Lucas, Ioannem baptistam minime propterea discipulos ad Iesum ablegasse, quod Messianam eius dignitatem in dubium vocauerit, haud obscure arguunt, quum vterque testetur, Ioannem eo tempore haec fecisse, quo *facta Iesu insignia* ipsi per discipulos essent nuntiata. Matth. 11, 2. Luc. 7, 18.

pretes in duas partes abierunt. Alii quippe Ieſum arundinis a vento agitatae mentionem ſenſu tropico inieciſſe exiſtimant, de indole Ioannis baptiſtae morali cogitantem, ita vt hoc ſibi vellet: „num „forte, quum Ioannem adiretis in locis deſertis „verſantem, perperam exſpectauiſtis, fore, vt ho„minem deprehenderetis leuem, inconſtantem, iu„dicio ſuo fluctuantem, arundini ſimilem?“ Alii propriae verborum ſignificationi inhaerere malunt, ſententiam Chriſti his verbis explicantes: „num „forte olim eo conſilio loca adiiſtis deſerta (ſ. Io„annem in deſertis verſantem), vt arundinem ſpe„ctaretis in iſtis regionibus admodum frequentem, „vento agitari ſolitam? Nequaquam; alio tende„bat animus veſter.“ Quae poſterior interpretatio ita defendi ſolet, vt ad verba commatis 8. (verſui ſeptimo paralleli et ad vnum idemque conſilium primarium ſpectantis): ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; prouocent, quippe quae neque ſenſu tropico poſſint intelligi, neque ad Ioannem eiusque animi indolem recte transferri. Quanquam lubentiſſime largior, verbis: ἄνθρωπον etc. nullam ineſſe metaphoram, aeque tamen patet, hominem veſtitu molli indutum (vitae conditione lauta et ſplendida vtentem) ſatis commode ita potuiſſe commemorari, vt ad eam, qua Ioannes vſus fuiſſet, vitae conditionem, illi plane contrariam, ab omni mollitie, luxu, et ſplendore alieniſſimam (Matth. 3, 4.) alluderet. Tantum igitur abeſt, vt parallelismum, qui vtrum-

que verſum intercedat, tollamus, laedamusue, vt eidem potius conſulamus, ſi Ieſum v. 7. non tantum de ſenſu proprio verborum: καλαμον υπο ανεμου σαλευομενον cogitaſſe, ſed etiam ad animi indolem in Ioanne baptiſta egregie conſpicuam, illi cogitandi ac ſentiendi rationi, quae vulgo calamo ventis agitato comparari ſoleat, plane oppoſitam, i. e. ad nobilem et praeclaram animi conſtantiam, reſpexiſſe iudicauerimus. Qua quidem interpretatione comprobanda inſuper duo potiſſimum commoda lucrabimur, partim probe cauentes, ne otioſum appareat arundinis epitheton: υπο ανεμου σαλευομενον, partim verba v. 7. 8. orationi inſequenti (v. 11 — 19.) nexu iungentes aptiſſimo. Videmus Seruatorem in eo verſantem, vt Ioanni baptiſtae laudes iuſtas tribuat, eumque defendat contra iudicia peruerſa a multis Iudaeis illo tempore de Ioanne proferri ſolita. Haud pauci quippe prophetam illum venerandum, ſtrenuum veritatis vindicem, iam in vincula coniectum, eo nomine reprehendebant, quod vulgaribus hominum ſtudiis (haud raro parum honeſtis) ſuam vitae rationem ſuosque ſermones accommodare noluerit. Eiusmodi Iudaeos refutaturus oſtendit Ieſus, quantopere, ita iudicantes, ſuam prodant inconſtantiam, quum partim olim eundem Ioannem plauſu ſummo excepiſſent, partim in ipſo (Ieſu Meſſia) qui vitae rationem ſequatur liberiorem et victu vtatur communi, id ipſum, quod in Io-

anne desiderauerint, iudiciis aeque maleuolis notent atque reprehendant. (v. 18.) Quae quum ita sint, verba Christi v. 7. 8. 9. iis, quae sequuntur, tali argumentationis serie cohaerere putauerim: *quum olim loca deserta adiretis, Ioannem audituri, exspectare profecto non potuistis, fore, vt vel hominem deprehenderetis inconstantem, vel eum, qui vitae gaudiis indulgeret. Exiistis haud dubie, eiusmodi prophetam, virum gravem, seuerum strenuumque virtutis et veritatis vindicem spectaturi, qualem Ioannes re vera sese gessit et etiamnum gerit.* (Hanc dignitatem Ioannis, nuntii, qui Messiae viam aditumque erat paraturus, propheticam, iampridem effatis V. T. adumbratam, Iesus inde a v. 10 — 15. accuratius persequitur; ita tamen, vt haud obscure profiteatur, veros ipsius sectatores ac discipulos eatenus Ioanne baptista esse maiores, quatenus ipsi (Messiae) atque regno diuino, quod Ioannis quidem sermonibus atque institutis nuntiatum et praeparatum fuerit, nunc autem per ipsum re vera inchoatum, propius sint coniuncti.) *Quodsi* (pergit) *Ioannes exspectationibus vestris olim satisfecit, quid tandem est, quod eundem iam acerbe reprehendatis? Vestram arguitis inconstantiam!* Talis autem atque tanta Ioannis commendatio parum fauet eorum interpretum sententiae, qui Ioannem in vincula coniectum dignitatem Iesu Messianam in dubi-

um vocaſſe exiſtimant [5]). Quomodo enim fieri potuit, vt Ieſus, qui hoc ipſo tempore et loco Iudaeos, de ipſo perperam et cupide (ſecundum ſpeciem externam) iudicantes, reprehenſione notaret iuſtiſſima, Ioannem laudibus efferret, ſi verum eſſet, quod illi interpretes ſuſpicati ſunt, Ioannem iam in eo fuiſſe, vt ipſe priſtinam de Ieſu Meſſia perſuaſionem relinqueret, eiusdemque vel conditione externa, vel factis perperam offenderetur? Putabimusne

5) Tota profecto Ieſu Chriſti oratio ita eſt comparata, vt ne vllum quidem veſtigium contineat vituperii vel taciti vel aperti, quo aliquam iudicii Ioannei inconſtantiam notauerit. Etenim quod nonnulli interpretes verbis v. 6. καὶ μακάριός ἐστιν, ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί tale vituperium ſubeſſe iudicant; id, quantum equidem video, ad ſententiam illam vel comprobandam, vel probabilem reddendam minime ſufficit, quum eadem verba ſatis commode ad Iudaeos illos poſſint referri, de auctoritate Chriſti perperam et maligne iudicantes, (v. 19.) qui ne factis quidem inſignibus a Chriſto editis eo perducebantur, vt dignitatem legati diuini recte agnoſcerent. Adſentitur mihi neganti, Ioannem illo tempore de dignitate Ieſu Meſſiana dubium fuiſſe ac ſuſpenſum, V. *Bengelius* in commentatione erudita: hiſtoriſch-exegetiſche Bemerkungen über die Stelle Matth. 11, 2 — 19. beſonders ihren inneren Zuſammenhang, im Archiv für die Theologie und ihre neueſte Literatur herausgeg. von D. Bengel, 1. B. 3. Stück, Tübingen, 1816. p. 763. ſeqq. Argumentis, quibus B. *Locſterus* potiſſimum ad ſententiam ſuam comprobandam vſus fuerat, alia recte oppoſuit Doct. *Zeigermann* in commentatione prima de conſilio, quo Ioannes diſcipulos ſuos ad Ieſum ablegauerit, e dubiis, in ipſius animo coortis, haud repetendo, Numburgi, 1813. 4.

Seruatorem, etsi probe nosset, Ioannem de dignitate eius Messiana dubitantem illos ablegasse nuntios, consulto tamen, prudentia vsum iusta, laudatorem huius prophetae coram populo egisse, quo facilius caueret, ne forte Iudaei circumstantes, audita hac discipulorum Ioannis interrogatione, argumentum inde peterent, quo veram Iesu Christi auctoritatem inpugnarent, atque pristinum Ioannis testimonium hac de re exhibitum vanitatis arguerent? Minime vero. Res ipsa docet, debuisse Iesum, si hoc fuisset laudationis, qua Ioannem ornaret, consilium *primarium*, vt coram populo omnem amoueret dubitationis de ipsius dignitate Messiana in animo huius prophetae excitatae speciem, non tantum tecte innuere, quid Ioannes sibi voluerit, quum discipulis suis quaestionem illam Christo proponendam demandaret, sed copiosius hac de re differere. Denique, si quis existimet, Messianam Iesu dignitatem a Ioanne in custodia versante in dubium esse vocatam, doceat necesse est, quomodo tandem et Iesus ipse (postquam illa accidissent, quae Matth. 11, 2. 3 legimus) alio tempore et loco (Io. 5, 33. ff.) iterum ad eiusdem Ioannis testimonium prouocare, et Ioannes euangelista (c. 1. v. 19. ff. c. 3. v. 27 ff.) huic testimonio tantam vim et auctoritatem tribuere potuerit? Has difficultates probe sentiunt, qui illos baptistae discipulos propterea a doctore ad Iesum ablegatos esse iudicant,

vt ipsis Messiana Iesu auctoritas certius persuaderi posset atque commendari. Sed, quanquam huius sententiae defensores recte adfirmant, in ipsis euangelistarum commentariis vestigia quaedam deprehendi haud obscura, vnde pateat, nonnullos Ioannis baptistae discipulos partim aegre tulisse, quod famam sui doctoris auctoritate Iesu Christi in dies increscente imminutam vidissent, partim vitae ratione, quam Iesus cum suis discipulis sequeretur, a consuetudine vitae Ioannea multum diuersa perperam esse offensos (Io. 3, 26. ff. Matth. 9, 14. ff.); ingenue tamen profiteor, causam mihi nondum apparuisse idoneam, quae baptistam mouere potuerit, vt talem potissimum viam iniret, discipulis illis summam Iesu Christi auctoritatem argumento certiori persuasurus. Quodsi enim (vt illi interpretes existimant) doctori ipsi, qui Messianam Iesu dignitatem iam iterata vice sancte testatus fuerat, fidem denegabant idoneam; multo minus sperare licebat, fore, vt Iesus, cuius et famae inuiderent, et liberiorem agendi rationem vituperio dignam iudicarent, hanc dignitatem suo testimonio facilius iis persuaderet. Dicemusne igitur, Ioannem, discipulis ad Iesum ablegandis, opportunitatem iis paraturum fuisse idoneam, facta Iesu Christi insignia intuendi, atque his spectandis testimonii, quod baptista de illius auctoritate exhibuisset, veritatem et sanctitatem agnoscendi? Verum (vt ta-

ceam, discipulis baptistae iam aliunde facta Christi insignia innotuisse, (cfr. Lucas 7, 18.) si Ioannes aliud consilium nullum sequebatur, sufficiebat profecto, discipulos ad facta illa oculis spectanda ablegasse, neque patet, quid sibi insuper quaestio voluerit Seruatori ab iisdem, doctore ita iubente, proposita: σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν; 6) Accedit insuper, quod et verba Christi respondentis v. 5. πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ιωάννῃ etc. et quae postea de *Ioanne* dicit v. 8. seqq. haud obscure persuasionem Christi innuunt, quaestionem v. 3. propositam non tantum ex mente discipulorum Ioannis baptistae esse propositam, sed etiam ex ipsius baptistae animo profectam. (Cfr. Bengelii comment. in nota 5. laudata p. 759. seqq. et p. 780. seqq.) Hisce singulis accuratius examinandis tandem eo delatus sum, vt causam legationis Ioanneae inde potius repetendam esse mihi persuaderem,

---

6) Idem profecto obstat coniecturae a nonnullis propositae, causam illius legationis Ioanneae inde esse repetendam, quod Ioannes accuratius cognoscere voluerit, num Iesus ille, cuius factorum insignium rumor ad ipsum in custodia versantem perveniisset, omnino idem esset Dei legatus, quem ipse olim prope Iordanem vidisset, atque docendi muneri lauacro sacro initiasset. Taceo, ne hoc quidem recte intelligi, quomodo Ioannes hac de re dubitare potuerit, quippe quem vix latere posset, praeter illum Dei legatum, cuius dignitatem ipse palam praedicauerat, neminem esse inter Iudaeos, qui tot ac tanta edere valeret facta insignia.

quod Iesum ad suam dignitatem Messianam rite coram omnibus declarandam atque defendendam voluerit impellere. Quanquam Iesus hucusque ea fecerat, quae ipsius legationi diuinae hominibus declarandae profecto egregie inseruiebant, nondum tamen consulto et aperte homines ad facta illa, tanquam argumenta dignitatis suae Messianae, ablegauerat. Talem vero publicam, copiosam, sollennem dignitatis Messianae declarationem ac demonstrationem Ioannes illo potissimum tempore desiderabat. Quemadmodum ex omnibus iis, quae de Ioannis vita, sermonibus, factisque innotuerunt, recte colligimus, prophetam illum venerandum ingenii animique fuisse feruidioris, de iis, quae immutanda et emendanda essent, confestim absque mora diuturna emendandis cogitantem; ita, quae de Messia iam prodituro atque de regno diuino proxime instante eloquutus est, (Matth. 3, 11. 12. Luc. 3, 16. 17.) luculentissime ostendunt, ad eam, quam Ioannes animo concepisset, Messiae imaginem hoc potissimum pertinuisse, vt morum censorem exspectaret rigidum et seuerum, alacritate summa improbos omnes poenitentiae expertes puniturum, atque amoturum, neque hoc negotium purgandi et emendandi, quae emendatione indigerent, diutius differentem. Proinde, quum Iesus neque sollennem illam, publicam, et copiosam legationis suae diuinae professionem huc-

usque exhibuisset, neque de inprobis illud, quod Ioannes exspectaret, iudicium exerciturus videretur; Ioannes, de dignitate quidem Iesu Christi persuasissimus, sed pro omni ipsius indole morae inpatiens, consultissimum putauit, Seruatorem per nuntios ad eum ablegatos, quaestionem illam: σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος etc. proposituros, ad publicum auctoritatis suae testimonium coram multis exhibendum, atque homines, qui de Iesu Christo iudicia ferebant siniſtra et maleuola (Ioanni haud incognita) refutandos, coarguendos, puniendos prouocare et inpellere. Quod quidem testimonium publicum iam eo magis properandum putabat, quo maiorem admirationem factum insigne, quod Iesus iuuene Nainitico in vitam reuocando ediderat (Luc. 7, 11. ſſ.) inter Iudaeos excitauerat. Accessitne insuper alia quaedam huius legationis causa ad baptistam ipsum pertinens? Coniecerunt sane interpretes quidam, Ioannem, illo tempore propter ingenuam veritatis professionem custodiae traditum, metuendum putasse, ne forte, si Iesus publicam atque sollennem dignitatis suae Messianae declarationem amplius differret, suisque aduersariis diutius parceret, illud, quod olim ipse (Ioannes) de Iesu exhibuisset, saepiusque iterasset, testimonium magnificum, tandem hominibus illis omnino vanum irritumque esset appariturum; speraſſe autem, fore, vt, si Iesus opportunitate idonea per illam nuntiorum

ad ipsum ablegatorum quaestionem sibi oblata vsus fuisset ad dignitatem suam testimonio sollenni declarandam atque demonstrandam, simul ipsius quoque (baptistae) auctoritatem vindicaret propheticam, hominesque de eadem dubitantes atque inepte iudicantes refutaret et coargueret. Quamuis huic sententiae, olim mihi quoque probatae, conciliari omnino possint, quae Iesus, legatis digressis, v. 7 — 19. coram Iudaeis circumstantibus eloquutus est; intellexi tamen, loco Matthaei iterum iterumque perlustrando, coniecturam propositam argumentis, quae sufficiant, destitui, quum neque in ipsa quaestione Iesu Christo v. 3. proposita, neque in sermone Seruatoris inde a v. 7. sequente vestigia appareant, ex quibus colligi possit, Ioannem de eo cogitasse, vt aliquam sui honoris suaeque auctoritatis defensionem a Seruatore tacite expeteret. Immo ex animo adsentior V. Bengelio causam, quare Iesus dixerit, quae v. 7. sequuntur, in eo quaerenti, quod studiose cauere voluerit, ne forte Iudaei circumstantes ex illa quaestione a discipulis baptistae proposita (v. 3.) colligerent, Ioannem ipsum coepisse de dignitate Iesu Messiana dubium fieri atque suspensum. (cfr. commentatio eius supra laudata p. 792. seqq.) Haec enim ratio nexus illustrandi, qui versum 7. antecedentibus iungit, maxime adiuuatur imagine arundinis a vento agitatae, cui Ioannem similem esse Iesus

ita negauit, vt eum omnino (v. 7. 8.) tanquam virum ſtrenuum, conſtantem, intrepidum deſcriberet. Quae quidem defenſio, ſuſpicionem iniuſtam a Ioanne amouens, opportunitatem Chriſto dedit, v. 8. et ſeqq. plura de Ioanne addendi, quibus partim merita huius viri praedicaret, et iudicia peruerſa ac ſiniſtra, 7) quae Iudaei multi variis temporibus de Ioanne tuliſſent, reprehenderet, partim vero etiam haud obſcure profiteretur, cognitionem regni diuini, qua Ioannes gauderet, non perfectam eſſe, eidemque hac in re praeſtare diſcipulos (Chriſti), regni diuini (iam praeſentis) vere participes. His de conſilio, quo baptiſta diſcipulos ad Ieſum ablegauerit, disputatis facile patebit, quo ſenſu atque iure verba Chriſti apud Matth. 11, 4 — 6. pronuntiata inter effata, quae de conſi-

---

7) Nolim cum Doctiſſ. Zeigermanno in comment. ſupra nota 5. laudata adfirmare, ſiniſtra illa de Ioanne iudicia, quae Ieſus v. 18. reprehenderit, eo tantum tempore audita eſſe, quo baptiſta ſuo docendi munere adhuc fungeretur, libertate nondum priuatus. In ipſis certe verbis Chriſti nihil apparet, quod nos iubeat, verſum 18. *nonniſi* ad rem *praeteritam* referre, quum Ieſus in *vtroque* verſu (18. et 19.) tempus praeſens καὶ λέγουσιν adhibuerit, quae quidem verba ipſe confiteor in vtroque verſu accuratius verti: *dicunt* (Iudaei peruerſi), quam (vt in verſione mea latina v. 18. ſcriptum eſt) *dicebant*. Quidni concedamus, eosdem Iudaeos, qui in vitae genere auſtero, quo Ioannes baptiſta vteretur, olim offendiſſent, non deſiiſſe hoc taxare, poſtquam cuſtodiae fuiſſet traditus?

lio, quo ipse facta sua insignia ediderit, nos edoceant, classica referam. Tota quippe orationis Christi series ostendit, eum factis insignibus (qualia sunt, quae verbis enumerantur: τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται) vim tribuere declarandi et comprobandi, se re vera esse τον ερχομενον (Messiam iampridem promissum et diuinitus ad homines ablegatum) neque alium esse exspectandum. Repugnantem sane video Ill. Paulum in commentario T. I. p 867 haec differentem: „Jesus verweist hier auf seine wohlthätige Würkungen und selbst auf das wunderbare in manchen dieser Thaten als auf Beweise *seiner groffen und zweckmässigen Thätigkeit*, um das Volk zur Hauptsache, zum ευαγγελιζεσθαι zu sammlen und darauf aufmerksam zu machen, nicht als auf Beweise seiner Messiasschaft. Nicht diese, sondern jene nur bezweifelte der nicht warten wollende Johannes.“ In promtu est iudicium, quod Paulus de verbis v. 5. tulerit, ex iis colligi, quae de consilio legationis Ioanneae (p. 856. ff.) disputauerat. Etenim, quum baptistam propterea existimet nuntios illos ad Iesum ablegasse, quod proponenda quaestione: συ ει ὁ ερχομενος etc. Seruatorem inpellere voluerit ad auctoritatem suam Messianam paulo citius et festinantius declarandam, atque regnum diuinum sollenni modo inchoandum; colligit in-

de, ea, quae Iesus nuntiis illis respondit: πορευθεντες απαγγειλατε etc. non potuisse eo spectare, vt baptistae e miraculis suis auctoritatem suam Messianam demonstraret (quippe quae Ioanni pridem esset persuasissima, neque ab illo propheta vnquam in dubium vocata), immo hoc tantum egisse Seruatorem, vt baptistae persuaderet, se profecto legationis suae diuinae atque prouinciae Messianae sibi demandatae consilio probe satisfacere, quum partim factis insignibus homines alliciat et congreget ad doctrinam audiendam, partim sermonibus suis homines edoceat, (etsi Ioanni, de rebus humanis per Messiam celerrime summaque alacritate immutandis et emendandis cogitanti, paulo tardior appareat). Quanquam, quod consilium legationis Ioanneae attinet, V. Paulo vniuerse adsentior; alio tamen sensu responsum Christi (v. 5. 6.) intelligendum video. Etenim, quod Iesus, legatis Ioanneis responsurus, singulas operum suorum species commemorat, id neque propterea fieri existimo, vt Ioanni dignitas Christi demonstretur e miraculis conspicua (dudum, vt diximus, illi persuasa) neque eo velim referri, quod Iesus coram Ioanne se veluti defendere, suorumque factorum rationem ei reddere voluerit. Talis quippe defensio partim vituperium poneret, quo Ioannes antea per nuntios ablegatos (v.

3.) [8]). Ieſum notaſſet, partim ne ſatis apta quidem fuiſſet et ſufficiens. Quodſi enim conſilium Seruatoris (vt Paulus exiſtimat) eo ſpectabat, vt Ioannem doceret, ſuam agendi rationem iis ſatisfacere, quae prouincia Meſſiana poſtularet; minime in operibus ſuis commemorandis debebat acquieſcere (Ioanni pridem cognitis); immo cauſa erat declaranda atque ratio, quare merito adfirmaret, ſe profecto his ipſis operibus abunde praeſtitiſſe, quae hucusque tanquam Meſſias praeſtare debuiſſet. Quae quum ita ſint, Seruatorem, dum nuntiis Ioanneis reſpondeat, quae v. 4. 5. 6. legimus, in eo potius verſari dixerim, vt, deſide-

---

8) Liceat mihi hac in re a ſententia Pauli discedere, p. 857. haec disputantis: „Johannes läſst Jeſu ſo wie einem, wel„chen man antreiben will, ſich als den, der er iſt, zu zei„gen, durch ſeine Boten ſagen: es iſt ja beynahe, wie wenn „du der nicht wäreſt, der du biſt und ſeyn willſt; du läſ„ſeſt uns harren, wie wenn erſt ein anderer als Meſſias zu „erwarten wäre.“ Videtur ita verbis baptiſtae Ieſum per nuntios interrogantis: σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος etc. εἰρωνεία quaedam tribui, vituperium Chriſti continens, quae mihi quidem ab omni Ioannis baptiſtae indole, atque cultu pio, quo Ieſum verum Dei legatum proſequebatur (cfr. Io. 1, 29. 33. 3, 29. ff.) aliena apparet. Quantum equidem video, quaeſtio illa nuntiis ad Ieſum miſſis demandata nihil acerbi habet, neque reprehenſionis ſpeciem, ſed votum baptiſtae declarat atque deſiderium, Seruatorem ad publicam et ſollennem dignitatis ſuae declarationem et demonſtrationem, atque iudicium ſeuerum de Iudaeis incredulis et peruerſis exercendum excitare cupientis.

rio baptiſtae quodammodo ſatisfaciens, coram Iudaeis circumſtantibus breue exhibeat auctoritatis ſuae Meſſianae, ex operibus eluceſcentis, teſtimonium, doceatque (non tam Ioannis, quam Iudaeorum cauſa) ſe profecto ea facere, quae Meſſiae prorſus conueniant [9]). *Videmus Ieſum partim miracula, quae edebat, partim diligentiam et curam, qua regnum* [10]) *diui-*

---

9) Adverſus ea, quae Ill. Paulus alio tempore de effato Chriſti monuerat (in commentat.: auch etwas über die Abſicht der Wunderthaten Ieſu, im neuem theologiſchem Journal, Jahrg. 1797. 5tem Stück, p. 413. ff.) iam a B. *Storrio* diſputatum eſt: „hat Ieſus ſeine Wunder für einen Beweis ſeiner göttlichen Sendung erklärt?“ in *Flatts* Magazin für chriſtliche Dogmatik und Moral, 4tem Stück, p. 226. ff.

10) Quum vniuerſa Ieſu Chriſti doctrina notioni της βασιλειας του θεου, ſublimi profecto et egregiae, veluti fundamento, appareat ſuperſtructa; nemini poteſt mirum videri, quod Ieſus et h. l. et aliis pluribus ſuum docendi negotium verbo: ευαγγελιζειν: laetum tradere nuntium (regni diuini proxime inſtantis) compellauerit. Vocabulum πτωχοι h. l. minime ad ſolos pauperes atque egenos eſſe referendum, ſed omnes omnino complecti, qui conditione externa minus laeta atque proſpera vtantur, ſolatio indigentes, iam alii interpretes probe viderunt. cfr. Matth. 5, 3. Quanquam doctrina Ieſu Chriſti ad homines omnes pertinuit, tamen ad formulam reſpiciens, quae apud Ieſaiam legitur (61, 1.), illos potiſſimum πτωχους commemorat, doctrina ſalutari inbuendos atque recreandos, quippe qui partim ſaluberrimum talis nuntii ſolatium illo tempore prae ceteris deſiderabant, partim ea ipſa de cauſa doctrinae Ieſu Chriſti recipiendae et approbandae plerumque facilius apti erant et idonei, quam homines diuites et fortunati.

num proxime instans nuntiabat, tradebatque laetam et salutarem de illo doctrinam, inter signa notasque prouinciae et auctoritatis Messianae luculentissimas referentem.

§. 5.

Aliud Seruatoris effatum (ex eorum quidem genere, quibus vniuerse declarat, quaenam ipsius facta insignia efficere debuerint) eodem continetur euangelii Matth. capite v. 20—24. (coll. Luc. 10, 13. ff.). Reprehendit Iesus vrbium quarundam incolas, qui, cum facta ipsius vidissent insignia, minime tamen de mente emendanda cogitassent, eorumque sortem olim iudicii tempore multo acerbiorem tristioremque fore declarat, quam Tyrorum, Sidoniorum, et Sodomitarum. quippe qui, si inter ipsos talia facta fuissent edita, multo citius animum mutassent. Qua quidem reprehensione haud obscure declarat, miraculis suis aliquid inesse, quod homines facta illa spectantes atque cognoscentes ad μετανοιαν prouocare [11]) debeat. Quali autem nexu hu-

11) Repugnat quidem Ill. Paulus in comment. laud.: „auch etwas über die Absicht der Wunderthaten Jesu etc.“ qui Seruatorem illarum ciuitatum incolas propterea vituperasse censet, quod, etsi eos saepenumero factis insignibus ad sermones suos μετανοιαν commendantes audiendos excitasset,

ius mutationis neceſſitas e factis Ieſu Chriſti inſignibus ſpectatis cognitisue ſequatur? aliorum locorum ope accuratius licet conſtituere. Nouimus quippe, Seruatorem inſtitutionis ſuae publicae initium ita feciſſe, vt, quod Ioannes baptiſta Meſſiae viam paraturus ciuibus ſuis acclamaſſet: *animum immutate* (meliorem induite cogitandi, ſentiendi, agendique rationem, pietatem veram Deo probatam), *inſtat quippe regnum coeleſte* (μετανοειτε, ηγγικε γαρ ἡ βασιλεια των ουρανων, Matth. 3, 8. ſſ. Luc. 3, 8. ſſ.), idem ipſe repeteret et confirmaret (Matth. 4, 17. Marci 1, 14. 15.). Plerique enim ciuium Ieſu Chriſti atque popularium et praeconceptis opinionibus et vitiis quibusdam ita indulgebant, vt magna indigerent animi emendatione,

---

tamen aures praebere noluiſſent. Attamen, ſi quis verba v. 20. 21. 23. absque omni opinione praeconcepta perluſtrauerit, facile videbit, vbique factis inſignibus, quae Ieſus coram illis hominibus ediderit, neceſſitatem της μετανοιας *proxime* adnecti. Quodſi Ieſum huius emendationis neceſſitatem (vt Paulus exiſtimat) minime ex iis repeti voluiſſe dicamus, quae e factis ſuis eluceſcerent inſignibus, ſed ex ipſis tantum ſermonibus, quibus homines illos ad mentem immutandam ſtrenue cohortatus fuerat, eosque de ſtatu ſuo peruerſo, emendationem efflagitante edocuerat; cauſa nulla patet idonea, quare loco laud. itérata vice ad miracula illa (quae ſecundum Pauli ſententiam nullam haberent vim probandi, neque niſi hominibus ad Ieſum audiendum excitandis inſeruirent) neque potius ad ipſos ſermones ſuos eorumque argumentum prouocauerit.

qua bonis commodisque regni diuini re vera digni euadere possent. Dum vero Iesus Iudaeos ad illam μετανοιαν prouocabat, hoc etiam postulabat, vt in doctrina eius salutari, regnum diuinum proxime instans nuntiante, summam ponerent fiduciam [12]). Cuius sententiae veritatem quemadmodum ipsa rei natura arguit (quomodo enim nuntius ille regni diuini prope instantis eam omnino vim habere poterat, vt de animo immutando serio cogitarent, nisi toto pectore veracitati eius confidebant?) ita locus declarat antea laudatus Marci 1, 15. vbi Iesus in Galilaeam profectus doctrinam de regno diuino his verbis tradidisse dicitur: πεπλήρωται ὁ καιρὸς, καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ· μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. *Huius autem nuntii laetissimi de regno diuino iam instante veracitatis argumenta et criteria ipsius facta insignia exstare voluit.* Cfr. inprimis effatum Seruatoris luculentissimum, quod Matth. 12, 28

---

12) Egregie B. Storrius in comment. laud.: „hat Jesus seine Wunder für Beweise seiner göttlichen Sendung erklärt?“ (S. 231. 52.) haec monet: „die μετανοια, welche durch Jesu Wunder hätte hervorgebracht werden können und sollen (Matth. 11, 20. ff.), war eben eine andere Gesinnung gegen Jesum (v. 27. ff. coll. v. 19.), ein herzlicher Glaube an ihn, als an den Sohn Gottes (v. 27. ff.), welcher freylich ohne moralische Besserung nicht statt finden konnte.“

legitur [13]) (coll. Luc. 11, 20.) ex illo Iesu Christi sermone notissimo depromtum, Pharisaeos inpugnante, qui ipsum homines daemoniacos sanantem temere et inprudenter foederis accusauerant, quod cum principe daemonum malorum iniisset, cuius ope et auxilio daemones eiiceret. Totius orationis series haec est. Quicunque Iesum videret facta illa insignia edentem, in daemoniacis summa efficacia sanandis conspicua, concederet necesse erat, eum vel humanis viribus illa perficere, vel per ipsum daemonum malorum principem, vel diuina vi adiutum. Alia huius efficaciae causa cogitari non poterat. Humanis viribus tot ac tanta minime perfici, Pharisaei eo ipso iam concesserant, quod (v. 24.) causam illius potestatis plane eximiae, qua Iesus homines daemoniacos sanabat, e singulari eiusmodi naturae, quae homines potentia superet (principis daemonum malorum) efficacia atque auxilio explicuerant. Neque vero ad Satanam auctorem facta illa insignia posse referri, nisi quis consulto calumniatorem ageret

---

13) Quanquam locus laud. minime eorum Iesu Christi effatorum genere comprehenditur, quibus *vniuerse* ad facta sua prouocat insignia; ita tamen disputationi de loco, quem nunc tractauimus, institutae cohaeret, vt h. l. praetermitti nequeat.

pessimum, docuerat Iesus v. 25. 26. [14]). Sponte iam sequebatur, Seruatorem vi diuina iuuante daemones expellere. Iam vero (verbis v. 27. interpositis, quibus Seruator temeritatem iudicii Pharisaeorum ex iis comprobat, quae de exorcistis suis iudicare soleant) v. 28. exinde, quod ipse vi diuina adiutus daemones expellat, porro haec colligit: εἰ δὲ ἐν πνεύματι θεοῦ ἐγὼ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ: sin vi diuina adiutus (ἐν πνευματι θεου i. q. ἐν δακτυλῳ θεου Luc. 11, 20) daemones eiicio, patet profecto, iam adesse

14) Argumentum, quo Iesus l. l. vtitur, egregie lectum est, et ita comparatum, vt probe inseruiat calumniatoribus istis ad absurdum ducendis. Etenim dum Seruatorem foederis accusauerant, quod cum principe malorum daemonum iniisset, absque dubio hoc posuerant, Satanam, quum hucusque ministros suos (genios malos) per Iesum coërceri, et corporibus, quae occupassent humanis expelli passus fuisset, saluti propriae callide et astute consuluisse, atque Iesu consulto illam concessisse potestatem, quo facilius per eiusmodi facta insignia auctoritatem sibi vindicaret Messianam, cuius vsum facere posset ipsius Satanae moliminibus fraudulentis inter homines adiuuandis eiusque regno stabiliendo idoneum. Quam quidem aduersariorum suspicionem maleuolam v. 25. 26. euertit his monendis: „de regno Satanae idem valet, „quod de quouis coetu et quauis societate recte dicitur, res „paruas concordia crescere, maximas discordia citissime fran„gi ac dissolui. Pessime sibi suoque imperio consuleret ma„lorum daemonum princeps, si ipse me iuuaret malos dae„mones (fidos Satanae ministros) coërcentem. Ita enim iam „sublata esset concordia interna, cuius praesidio Satanae im„perium pariter atque alia quaeuis societas indiget.“

nobis regnum diuinum. In promtu eſt, regnum Satanae (cuius conſilia et facta Iudaei diuinis decretis atque inſtitutis quouis pacto dicebant repugnare) opponi regno diuino. Quum Ieſus daemonibus efficacia diuina expellendis regnum Satanae deſtrueret, patebat inde, regnum diuinum iam in eo eſſe, vt initium caperet [15]). Quanquam Seruator l. l. non de

15) Aliter video Ill. Paulum (in comment. laud.: „auch etwas über die Abſicht etc.“) de effato noſtro iudicantem. Exiſtimat quippe, Seruatorem l. l. veracitatem nuntii de regno diuino proxime inſtante minime ex indole horum factorum, quae hominibus daemoniacis ſanandis ederet, miraculoſa, ſed e conſilio atque ſenſu, quo facta illa ederet, diuino comprobari voluiſſe. Verba auctoris (p. 421.) haec ſunt: „nicht das äuſſere Wunderbare, deſſen Auſſenſeite, nach den Würkungen der Heilung betrachtet, Jeſus mit manchen υἱοῖς Φαρισαίων (v. 27.) gemein hatte, ſondern das, was ihn vor allen dieſen auszeichnete, muſste beweiſen, daſs er handle, wie der Meſſias zu handeln habe. Er heilte nicht blos um zu heilen, wie jene Exorciſten; er heilte nach dem Gottgemäſsen Geiſtesdrange, einer nach ihrem Inhalt unläugbar praktiſch-göttlichen Lehre Zuhörer zu verſchaffen.“ Sed, quomodo tandem illa conſilii ſanctitas eiusmodi hominibus, quales illi erant Iudaei, coram quibus Seruator illo tempore daemones expellebat, argumento inſeruire potuit, quo ipſis veracitas nuntii de regno diuino proxime inſtante et Meſſiana Ieſu auctoritas perſuaderetur? Talis demonſtratio non potuiſſet niſi iis ſatisfacere, quibus iam certo perſuaſa eſſet atque explorata doctrinae a Ieſu Chriſto traditae veritas atque praeſtantia. Quodſi hanc doctrinae veritatem atque praeſtantiam animo toto agnouiſſent, ne opus quidem amplius fuiſſet illa demonſtratione e ſenſu et conſilio depromta, quo Ieſus hominibus daemoniacis ſanitatem reſtitueret. Neque verbis Chriſti,

miraculis, quae edebat, omnibus disputat, sed de iis tantum, quae ad homines daemonia-

---

quae inde a v. 25. leguntur, vllum ineſt veſtigium, vnde pateat, neruum probandi in ipſo animi ſenſu eſſe quaerendum, qui e factis illis eluceſceret. Etenim, quod v. 28. dicit: εν πνευματι θεου εκβαλλω τα δαιμονια, quanquam per ſe ſpectatum omnino ita poſſit intelligi, vt ad ſenſum referatur diuinum, qui animum Chriſti facta illa edentis totum regat atque teneat, praeſtat tamen propter locum Lucae parall. 11, 20. (ει δε εν δακτυλῳ θεου εκβαλλω τα δαιμονια) de *auxilio* interpretari, quo vis diuina Ieſum adiuuabat. Solet quippe apud Hebraeos ſumma Dei vis atque potentia (ex eiusdem operibus conſpicua) ſubinde brachium, manus, digitus Dei appellari. Exod. 8, 15. Pſ. 8, 4. Hunc loquendi vſum negligit, ſi quis illud: εν δακτυλῳ θεου vertere voluerit: wenn ich *nach* einem Fingerzeige Gottes (mit einem dem göttlichen Willen angemeſſenen Sinne) die Dämonen austreibe. Eandem formulae: ει δε εν πνευματι θεου etc. interpretationem poſtulant verba v. 24. oppoſita: ουτος ουκ εκβαλλει τα δαιμ. ει μη εν τῳ βεελζεβουλ etc. Neque ad ſententiam Pauli defendendam eo licet prouocare, quod, quum Iudaeorum exorciſtae (υἱοι των Φαρισαιων v. 27.) pariter atque Ieſus homines daemoniacos ſanauerint, Meſſiana Ieſu auctoritas ex ipſa harum ſanationum indole et ſpecie miraculoſa per ſe ſpectata intelligi non potuerit. Quis enim eſt, qui probare audeat, illa Ieſu Chriſti facta, quae ad daemones eiiciendos pertinerent, a ſimilibus exorciſtarum Iudaicorum factis ſenſu tantum, quem Ieſus animo foueret, eiusque conſilio, neque vero ipſa etiam indole externa atque efficacia multum discrepaſſe? Nonne ipſa declarat admiratio ſumma inter Iudaeos factis illis excitata (Matth. 12, 23. Luc. 9, 43. et alibi) Ieſum inter alios omnes, qui illo tempore daemoniacis auxilio ſuccurrerent, eminuiſſe, permultis, qui eiusmodi morbis, quales eſſent hominum daemoniacorum, vel difficillimis, laborarent, feliciter absque ambagibus formulisque ſollennibus verbo ſanandis?

cos ſanandos pertinebant, facile tamen vniuerſa Ieſu Chriſti argumentatio hoc declarat, *vim diuinam Ieſum adiuuantem, ex eiusdem factis inſignibus conſpicuam omnino debuiſſe regni diuini re vera iam inſtantis ſignum apparere atque teſtimonium.* Quum vero neceſſitatem animi emendandi (vt ſupra iam vidimus) proxime adnecteret nuntio regni diuini prope iam inſtantis veraciſſimo; patet, quo ſenſu atque iure loco antea laudato (Matth. 11, 20. ſſ.) factis ſuis inſignibus tantam vim homines ad mentem immutandam ſerio cohortandi ineſſe dixerit, vt, quicunque animum emendare noluiſſent, etſi facta illa vidiſſent, poena grauiſſima digni apparerent. Erant quippe facta illa *regni diuini proxime inſtantis, a Ieſu nuntiati, per ipſum iam inchoandi, omina diuina* 16).

§. 6.

Addimus tertium locum claſſicum, qui apud Ioannem exſtat in euang. c. 6. v. 26. Poſtquam Ieſus factum inſigne ediderat magna hominum multitudine, quae in regione montana ac deſerta prope lacum Tiberiadis Gali-

16) De loco, quem tractauimus, conferri poteſt commentatio antiquior: diſſertatio theologica ad oraculum optimi Seruatoris Matth. 11, 20—24. praeſide *C. I. Schott* (Theol. Prof. Tubingenſi) a pluribus examinis theol. Candidatis publice defenſa Tubingae, 1766. 4.

laeenſem congregata victu carebat, cibis ſatianda, iterumque lacum traiiciendo ripam adierat vlteriorem Capernaumum profectus; aliqua pars illius hominum turbae, quae per totam noctem prope lacum in eadem regione commorata fuerat, in qua Seruator alimentorum inopiae facto inſigni conſuluerat, poſtridie, Ieſum quaeſitura, in eandem ripam lacus Tiberiadis vlteriorem ſeſe contulit. Quae quum Seruatorem deprehendiſſet, hic ita eos alloquutus eſt (v. 26.): ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν· ζητεῖτέ με, οὐχ' ὅτι εἴδετε σημεῖα, ἀλλ' ὅτι ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων, καὶ ἐχορτάσθητε „profecto non ideo me „quaeritis, quod facta mea inſignia vidiſtis, „ſed, quod panibus comedendis ſatiati eſtis.“ (Vocab. σημεῖα partim auxilium illud beneficum, quod Ieſus multitudini alimentis deſtitutae tulerat, c. 6. v. 5—14. enarratum, partim facta illa inſignia v. 2. paucis commemorata complectitur.) Loci laudati vſum eo maiori iure facere mihi videor, quaeſtionem propoſitam illuſtraturus, quo luculentius Ieſus, dum in hominibus ipſum adeuntibus aliquem animi ſenſum et adfectum aegre deſiderat, quem facta eius inſignia ab illis ſpectata excitare debuerint, ſimul declarat, quid quantumque velit miraculis ſuis effici. Reprehendit homines ea de cauſa ipſum quaerentes, quod auxilium Seruatoris beneficum experti fuerant, eorum deſideriis externis conſulens,

ſperabantque, fore, vt noua eiusmodi ederet miracula, quae ipſis externa paratura eſſent commoda. Animum quippe prodebant terreſtria tantum bona et commoda curantem, cogitantem, deſiderantem, ideoque in factis Ieſu Chriſti inſignibus nihil ſpectantem atque aeſtumantem, niſi, quod ſenſibus placeret, hominumque deſideriis ſatisfaceret terreſtribus [17]). Quemadmodum Ieſus talem animi ſenſum humi repentem neque praeſtantiora appetentem verbis notat: ζητεῖτέ με ὅτι ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων, καὶ ἐχορτάσθητε; ita, qualem potius ſenſum ab iis poſtulet, qui ipſum viderint miracula edentem, prioribus innuit: οὐχ' ὅτι εἴδετε σημεῖα. Sed, quo tandem iure *negare* potuit, homines illos propterea ipſum quaeſiuiſſe, quod facta viderint inſignia? Nonne enim his miraculis, quae modo ſpectauerant, atque experti fuerant, excitati eum ſectabantur? Magna apparet totius effati breuitas, partim e propria vocabuli σημεῖον ſignificatione, partim ex iis, quae ſequuntur (inde a v. 27.) vberius illuſtranda. Neminem quippe fugit (id quod iam ſupra obiter in-

17) Bene monuit V. Flatt in comment.: philoſophiſch- und exegetiſch-hiſtoriſche Bemerkungen über die Wunder Chriſti, in Flatt Magazin für chriſtliche Dogmatik und Moral 3tem Stück, S. 39. Anmerkung: „Jeſus hatte es mit grobſinnlichen Menſchen zu thun, welche bereits ſchon von dem Anfange eines Meſſianiſchen Reiches (v. 15.) träumten, in welchem ihnen die köſtlichſte Nahrung ohne Mühe und Arbeit von ſelbſt zuſtrömen würde.“

nuimus, quum in notione miraculi biblica paucis adumbranda verſaremur) poteſtatem vocabuli σημεῖον propriam, qua omnino quoduis rei cuiusdam ſignum ſ. documentum ſignificet, ad miracula Ieſu Chriſti et Apoſtolorum eatenus eſſe translatam, quatenus ex illis factis et euentis in ſenſus cadentibus aliquid eſſet cognoſcendum, quod ſenſibus non pateret. Quae quidem notio vniuerſa etſi profecto in omnia cadit N. T. effata, vbi miracula σημεῖα appellantur, noſtro tamen loco praecipue valet ad cauſam, quare Ieſus illa dixerit: ζητεῖτέ με οὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα recte intelligendam. Euaneſcit quaeuis difficultas, ſi modo hoc tenuerimus, Ieſum haec dicentem vocem σημεῖα ita pronuntiaſſe, vt notioni illi rerum geſtarum, quae aliquid ſignificent a ſenſibus remotum, non ſine vi praecipua inhaereret. Licet totius effati ſententiam amplius ita declarare: „minime propterea me quaeritis, quod eiusmodi facta vidiſtis, quae (ſi modo animum aduerteretis) ſigna vobis apparerent rei grauiſſimae, „ſub oculos non cadentis, luculentiſſima; immo „veſtrum mei deſiderium inde exſtitit, quod e „miraculo nuperrime edito commodum externum „percepiſtis.“ (Nicht die Hauptſache, das höhere, bedeutungsuolle in meinen Thaten, ſondern die Nebenſache, das geringere, die Befriedigung äuſſerer Bedürfniſſe feſſelt euch an mich.) Qualem vero miraculorum vim altius aliquid et praeſtantius ſignificandi Seruator hic ſpectauerit, ſe-

quentia accuratius declarant. V. enim 27. Ieſus dicere pergit: „comparate vobis non tam cibum „perituram, quam cibum ad vitam futuram per„durantem, quem hominis filius (Meſſias) vobis „largietur; hunc enim (tanquam Meſſiam) Deus „pater comprobauit.“ Βρωσει απολλυμενη (cibo perituro, panibus omninoque alimentis vitae phyſicae) opponitur βρωσις μενουσα εις ζωην αιωνιον, alimentum vitae altioris, ſ. cibus ad vitam vsque olim futuram (beatam et aeternam) *perdurans*, illamque vitam homini *largiens* (haec enim vtraque formulae ſignificatio partim ipſa rei natura, partim propter vſum voculae εις, cum ad terminum, tum ad finem et conſilium ſignificandum adhiberi ſolitae, alteri commodiſſime iungitur). Transfert Ieſus cibi ad vitam vsque futuram perdurantis eamque homini largientis imaginem per totum, qui ſequitur, ſermonem continuatam ad religionis doctrinam, quam tradebat, hominibus fidem ipſi habentibus ſalutarem, (cfr. v. 29. 35. 40. 47. 48. 51. 55. ſqq. 63.) Hebraeorum morem et conſuetudinem, religionis doctrinam cibo comparandi, ſequutus (cuius veſtigia exſtant Ezech. 2, 8—10. Apocal. 10, 8—11.). Cfr. phraſis ſimillima Io. 4, 14. ὑδωρ αλλομενον εις ζωην αιωνιον [18]). Homines, qui Ieſum propterea

18) In promtu eſt, cauſam, quare Ieſus hoc potiſſimum loco illius imaginis vſum fecerit, in eo eſſe quaerendam, quod ſermonem ſuum facto inſigni hominibus cibo ſatiandis edito proxime adnecteret.

quaesiuerant, quod nuperrime auxilio eius benefico panibus comedendis satiati fuerant, strenue exhortatur, vt operam suam studiumque non tam cibis inpendant comparandis corpori alendo inseruientibus, omninoque externis commodis, quam alimentis animum nutrientibus, qualia ipse (tanquam legatus diuinus) in promtu habeat, hominibus suppeditanda. Quo iure autem adfirmauerit, sibi, tanquam Messiae, potestatem et prouinciam competere, talem βρωσιν μενουσαν εις ζωην αιωνιον hominibus procurandi, paucis declarat, quae adduntur: τοῦτον γὰρ ὁ πατὴρ ἐσφράγισεν ὁ θεός: huius enim (hominis filii) auctoritatem (meam dignitatem Messianam) Deus pater ipse rite comprobauit (adiuuando [19]) eum σημεια edentem). Quodsi partim haec postrema v. 27. verba, partim cohortationem praecedentem: εργαζεσθε την βρωσιν την μενουσαν etc. superioribus illis (v. 26.) ζητειτε με, ουχ ὁτι ειδετε σημεῖα comparauerimus; facile iam patebit, qualis sit vis illa et significatio miraculorum Iesu Christi altior atque sublimior, quam homines, externis tantum commodis inde redundantibus intenti atque inhiantes, per-

19) Verbum εσφραγισεν ea de causa ad σημεια potissimum refero, quod de eiusmodi factis v. 26. sermo fuerat; ideoque non omnino possum ad Ill. Pauli sententiam accedere, in commentario ad Ioannem P. I. p. 344. ad verba: τουτον ὁ πατηρ εσφραγ. haec notantis: wodurch? durch alles, was er thut (5, 36.), weil er immer thut, was und wie es der Messias zu thun hat.

peram negligant. Reprehenſione iuſta dignos iudicabat, qui, quum facta Ieſu Chriſti inſignia vidiſſent, minime tamen animum eo conuerterant, quod Deus ipſe factis illis aperte declaraſſet, Ieſum, eorundem auctorem, legatum eſſe diuinum, poteſtate et prouincia inſtructum, hominibus fidem ſibi habentibus ea bona procurandi, quae multum praeſtent commodis terreſtribus, animos vera et ſalutari inbuendo religionis doctrina. Sententiam Chriſti amplius declarant, quae ſequuntur v. 28. 29. Iudaei quippe, ſententiam imaginis a Ieſu (v. 27.) adhibitae nondum recte intelligentes, accuratius de modo edoceri cupiunt, quo ipſi talia ſibi poſſint comparare, *qualia Deus ſolus* efficere valeat, cibum alimentis ſolitis longe praeſtantiorem, nunquam periturum, vitam futuram et perennem largientem. (Phraſin quippe εργα του θεου recte, opinor, interpretantur, qui εργα intelligunt ἃ ποιεῖ ſ. ἐργάζεται ὁ θεὸς, cfr. Io. 8, 39. 41. et 9, 3. ſuadente ita verbo, quo Ieſus v. 27. vſus fuerat, εργαζεσθε Iudaeis interrogantibus: τι ποιωμεν etc. haud dubie obuerſato, atque tota orationis ſerie.) [20] Succurrit Ieſus inbecilli-

20) Vſum loquendi aeque permittere, vt εργα του θεου h. l. de factis intelligatur, ſ. operibus Deo probatis et acceptis, probe quidem praeter alios V. Kuinoelius in comment. ad h. l. docuit. Verum, ni omnia me fallunt, interrogatio Iudaeorum v. 28. ſi ea ratio, quam ſupra commendauimus, probata fuerit, verbis Chriſti antecedentibus (v. 27.) aptius cohaeret et facilius. Docet quippe reliqua omnis narratio,

tati audientium, haec respondens (v. 29.): hoc est Dei opus (hoc intelligo Dei opus atque institutum), quod in eo versatur, vt vos ad fidem perducamini ei habendam, quem ad vos legauit. Iudaei, his auditis, v. 30. documentum insigne postulant, a Iesu edendum, quo pateat, re vera ipsi, tanquam Dei legato, fidem esse habendam; cuius voti iustitiam probaturi v. 31. eo prouocant, quod Moses olim auctoritatis suae et legationis diuinae documentum extraordinarium exstare voluerit, quum hoc a Deo inpetraret, vt panem coelestem (Manna dici solitum) depluere iuberet. Videmus homines illos sensuum inperio obnoxios verba Christi v. 27. obuia, quibus panem commemorauerat aeternum atque coelestem, hominibus per Messiam procurandum, etiamnum parum recte interpretantes, ideoque, quum de eiusmodi cogitassent alimentis coelitus profectis, qualia Moses olim in deserto Israelitis procurauerat, Seruatorem excitantes, vt simili quodam cibo coelesti (praestantiori tamen) suppeditando dignitatem suam confirmaret Messianam. Respondet v. 32. 33.: „Moses vobis non largitus est eiusmodi panem, „qui sensu perfectissimo coelestis posset appellari;

Iudaeos (v. 28.) sensum sublimiorem, quo Iesus panem commemorasset ad vitam aeternam duraturum, nondum recte cepisse (etsi vniuerse senserint, aliquid significari, quod singularem ponat Dei efficaciam), neque intellexisse, hunc panem coelestem ipsis eo tantum contingere posse, quod voluntati diuinae obediant (cfr. v. 31. 34.).

„talem nunc vobis offert pater meus coeleſtis. „Nam diuinus panis ille eſt, qui e coelis deſcen„dit, hominibus vitam (veram animi vitam et „ſalutem aeternam) largiturus.“ Quanquam Ieſus verbis: ὁ καταβαινων etc. ſatis perſpicue perſonam ſuam, dignitatem, legationem diuinam, eiusque conſilium indicauerat (cfr. infra v. 38. c. 3. v. 13. 31.); Iudaei tamen, eum audientes, animum declarant de vera huius effati ſententia etiamnum dubitantem atque haeſitantem, v. 34. his precibus Ieſum adeuntes: domine, perpetuo nobis huncce panem tribue. Proinde, vt quaeuis remoueatur dubitatio, tandem v. 35. aperte haec profitetur: „equidem ſum panis ille ſalutaris; qui me „fuerit ſectatus, nunquam eſuriet, qui fidem mi„hi habuerit, nunquam ſitiet (i. e. qui me, do„ctorem religionis praeſtantiſſimae, vberrimum „verae ſalutis fontem continentis, ſequutus fu„erit, nunquam deſiderabit veram vitam et fe„licitatem, immo omnibus ſalutis verae praeſi„diis abunde gaudebit, alia nulla quaeſiturus).“ Quodſi ad totam orationis ſeriem, quae hanc poſtremam Ieſu Chriſti profeſſionem verbis Iudaeorum iungat v. 30. ſq. obuiis, animum probe attenderimus, neminem latebit, Seruatorem hoc egiſſe, vt Iudaeos, documentum Meſſianae eius auctoritatis externum, illi ſimile, quod Moſes olim Iſraelitis in deſerto ſuppeditaſſet, efflagitantes, ad aliud dignitatis ſuae σημειον, illi longe praeferendum, ablegaret, i. e. ad ipſam

doctrinae diuinae, quam hominibus traderet, efficaciam saluberrimam, sanctissimis animi desideriis in perpetuum abunde satisfacturam; possumusque iam effati nostri vsum facere egregium ad eam rationem, quae argumentum diuinae Iesu Christi legationis externum (e miraculis depromtum) intercedat, atque illud internum, quod doctrinae praestantia et efficacia suppeditet, ex ipsis Iesu Christi sermonibus recte cognoscendam. Quum Iudaei, etsi factum insigne vidissent, quod Iesus satianda hominum multitudine ediderat, minime tamen animum ad cognoscendam huius legati doctorisque diuini auctoritatem, ex eiusmodi factis elucescentem, recte conuertissent, immo cupide alia noua postulassent huius dignitatis documenta externa, sensibus placitura; Iesus aperte iis declarat, aliud exstare huius rei documentum, illis, quae terrestria sint, oculisque pateant, praestantius, coeleste, inuisibile, ipsam religionis suae vim et efficaciam egregiam, quam experiundo quiuis cognoscere valeat, nisi forte externa tantum curet huius vitae gaudia et commoda, atque partim sermonibus Christi, partim iis, quae facta eius insignia (tanquam documenta externa et symbola) significent, animum opponat obstinatum. *Proinde, dum factis insignibus edendis hoc agebat, vt in ciuibus suis fiduciam excitaret in diuina ipsius legatione atque potestate et consilio, hominibus bona procurandi*

praestantissima, collocandam; viam aditumque iis erat paraturus ad illam de diuina causae suae et doctrinae auctoritate persuasionem, quae ex ipsa huius doctrinae efficacia saluberrima, quo diutius eam homo experitur, eo pulcrius efflorescit. Iam vero, quum Iudaei, quibuscum Iesus l. l. ageret, ab illo fiduciae sensu (qui animum ad doctrinam Christi audiendam eiusque praestantiam et efficaciam experiundo cognoscendam promtum reddere deberet ac paratum) ea de causa alieni essent, quod, sensuum imperio obnoxii, vestigia diuinae Iesu Christi auctoritatis ex eiusdem factis insignibus elucescentia perperam negligerent, neque in iis, quae hucusque edidisset, acquiescerent, alia noua eademque maiora σημεῖα postulantes, qualia cupiditates ipsorum terrestres desiderarent; facile patet, quo sensu atque iure Seruator partim v. 26 in ciuibus suis hoc notauerit, quod facti insignis nuperrime editi minime eum fecerint vsum, quem facere debuerint, partim v. 36. haec addiderit: ἀλλ' εἶπον ὑμῖν, ὅτι καὶ ἑωράκατέ με, καὶ οὐ πιστεύετε [21]).

21) Nolim equidem cum nonnullis interpretibus verbum ἑωρακατέ ita interpretari, vt Iesus Iudaeos ea de causa reprehendisse putetur, quod, etsi eum de facie cognouerint, fidem tamen sermonibus eius denegauerint („wenn ihr mich gleich persönlich kennen lerntet, so habt ihr doch nicht Ueberzeugungstreue gegen mich"). Quomodo enim necessitas fidei Iesu Christo habendae inde demonstrari poterat, quod Seruatorem de facie cognouerint? Magis commoda euaderet

§. 7.

Sed reſtant alia quaedam dicta in euangelio Ioannis obuia, quibus Seruator vniuerſe ad ἔργα

ſententia, ſi verbum ὁρᾶν h. l. latius patere dixerimus, ita vt eam innuat perſonae Ieſu Chriſti cognitionem, cui iuncta ſit totius, quam ſequeretur, agendi rationis obſeruatio accurata et cognitio. Attamen ipſa, opinor, orationis ſeries optime docet, quo tandem illud ἑωρακατε pertineat. Videmus Ieſum verbis: ειπον ὑμιν ad aliud effatum ſuperius prouocantem. Neque vero effatum deprehendimus, quod aptius huc traduci poſſit, quam quod v. 26. pronuntiauerat: ζητεῖτε με, οὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα, ἀλλ' ὅτι ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων, καὶ ἐχορτάσθητε. Hisce veſtigiis, quae logica interpretatio ſuppeditat, praecuntibus, ſententiam v. 36. atque nexum, quo antecedentibus cohaereat, hac ratione conſtituo: Poſtquam Ieſus coram Iudaeis noua eademque maiora legationis ſuae diuinae documenta externa (panem coelitus ſuppeditandum, eo, quem Moſes olim Iſraelitis procurauerit, praeſtantiorem) poſtulantibus palam profeſſus fuerat, aliud exſtare huius rei teſtimonium inuiſibile, quod ipſa doctrinae ſuae efficacia ſaluberrima experiundo cognoſcenda contineatur (ſemet ipſum ſuamque doctrinam panem eſſe coeleſtem ſenſu perfectiſſimo ita appellandum, omnium, qui eius vſum facere voluerint, deſideriis ſanctiſſimis abunde ſatisfacientem); addit v. 36.: „ſed vobis profecto non licet „experiundo cognoſcere, quantum mea religionis doctrina „ad veram animi ſalutem valeat, atque ita diuinam eius „auctoritatem vobis perſuadere; etenim, vt iam ſupra mo„nui, quanquam me vidiſtis (facta inſignia edentem), fidem „tamen mihi denegaſtis (σημεῖα, quae edidi, apud vos mi„nime effecerunt, quod efficere debebant, vt animum ad ea „conuerteretis, quae facta illa ſignificarent atque innuerent). „Quum vobis, altiorem illam factorum, quae edidi, inſig„nium ſignificationem perperam negligentibus ea deſit fidu„cia, quae animos veſtros ad doctrinam meam audiendam

ſua prouocat, eo accuratius pertractanda, quo magis diuerſa prodierunt interpretum iudicia de ſenſu vocabuli ἔργα vel latius patente, vel terminis anguſtioribus circumſcribendo. Io. 5, 36. 10, 25. 37. 38. 14, 10. 11. 12. 15, 24. Quaeritur enim, num recte iudicauerint interpretes, qui Subſtantiuum ἔργα locis laudatis vel *de ſolis* intelligerent *factis inſignibus*, a Ieſu Chriſto editis, vel *miracula pariter atque alia quaedam Seruatoris facta hominibus ſalutaria complecti exiſtimarent* (id quod vel ponunt vel demonſtrant, qui ad loca laudata eo conſilio prouocant, vt pateat, Ieſum e miraculis patratis legationem ſuam diuinam agnoſci voluiſſe)? Videmus quippe recentiori aetate plures eorum Theologorum, qui illa euangelii Ioannei effata tetigerunt, aliam viam ineuntes, ita vt vocem ἔργα vel ad *totam* Ieſu Chriſti *agendi rationem* (quatenus ſancta eſſet atque diuinae voluntati congrua, nulla tamen miraculoſae eiusdem factorum indolis ratione habita) vel ad *docendi prouinciam Ieſu Chriſto demandatam*, vel ad *quae-uis Ieſu facta et negotia Meſſiana*, legationis eius

„eiusque vim diuinam experiundo cognoſcendam excitare „debeat; quomodo tandem exſpectari poteſt, fore, vt ex „iis, quae doctrina mea animo praeſtet, auctoritatem eius „cognoſcatis?“ Ita partim nexus euadit facillimus, partim ſuperſedere poſſumus coniectura a nonnullis propoſita (cfr. V. Pauli comment. ad Io. p. 318.) Seruatorem v. 36. Iudaeis eiusmodi effatum in mentem reuocaſſe, quod Ioannes ſilentio transmiſerit.

diuinae consilio accommodata, ad homines edocendos et emendandos spectantia, pertinere iudicent. Cfrr. Ill. *Pauli* comment.: Auch etwas über die Absicht der Wunderthaten Jesu, im neuem theologischem Journal von 1797. 4tem Stück. Auctores anonymi epistolarum: Briefe über das Evangel. Joannis von verschiedenen Verfassern, in Eichhorns Bibliothek der biblischen Litteratur, Volum. 7. Fascic. 6. ad Io. 5, 19 ff. B. *Mori* commentatio: describitur testimonium Dei patris de filio suo (ad Io. 5, 31. ff.). *Eckermannus* in l. theologische Beyträge, 5ten B. 2tem Stück, S. 64. ff. V. *Nitzsch* in comment. quantum Christus tribuerit miraculis, Viteb. 1796. [22]) Est autem quaestionis propositae ea ratio atque indoles, vt ipse vocabuli ἔργα vsus per se spectatus controuersiae dirimendae satisfacere nequeat. Quanquam enim, qui negant, effata Ioannis laudata de miraculis recte intelligi, eo possunt prouocare, quod plura exempla doceant, quam late vocabulum ἔργα pateat (cfr v. c. Io. 7, 7. 8, 39); eodem tamen iure, qui sententiam contrariam amplectuntur, hoc vrgent atque defendunt, eiusmodi effata non deesse, quae illam angustiorem huius Substantiui sig-

22) Vocab. ἔργα *quaeuis opera* complecti, quae Iesu Christo, tanquam Messiae perficienda fuerint, nuperrime euincere studuit Doctiss. *Stark* in excursu 1. de notione, quam Iesus in iis locis, vbi ad ἔργα sua prouocat, huic vocabulo tribuerit, addito eius commentario in ev. Io. capp. 15 — 17. supra nota 2. laudato.

nificationem, qua *facta* innuat *insignia*, neceſſitate ſumma eſſlagitent (v. c. Matth. 11, 2. Io. 7, 21. coll. v. 23.) Videamus igitur, qualem viam ipſa illorum locorum indoles atque totius orationis ſeries nos ingredi iubeat. Qui negant, Seruatorem locis laudatis ἔργα ſua commemorantem miracula voluiſſe intelligi; duo potiſſimum effata (Io. 14, 10. ſſ. 15, 24.) ſententiae defendendae adhibent. Liceat vtrumque locum paulo accuratius perſequi. Poſtquam vnus ex Apoſtolis, Philippus, cum ſua tum ceterorum diſcipulorum animi vota eloquens, (Io. 14, 8) Iesum precibus adierat, vt patrem Deum ipſis oſtenderet; docet Ieſus v. 9. hisce votis atque precibus (quantum iis omnino poſſit inter homines ſatisfieri) iam eo conſuli, quod diſcipuli ipſum (Ieſum Meſſiam), Deo coniunctiſſimum, videndi et accurate cognoſcendi opportunitate gauderent perpetua. Cuius ſententiae veritatem amplius illuſtrat et confirmat v. 10. ita pergens: *nonne credis, me patri, patrem mihi eſſe coniunctiſſimum? Sermones, quos coram vobis eloquor, minime a me profectos* (ex ingenio et arbitrio proprio oriundos) *eloquor; pater ipſe, qui mihi perpetuo adeſt, opera mea perficit.* Quodſi quis totam huius commatis ſeriem accurate ſpectauerit, profiteatur neceſſe eſt, interpretationis logicae leges et principia primo quidem obtuitu iis interpretibus haud parum patrocinari, qui vocem ἔργα h. l. ad *ipſam Ieſu Chriſti doctrinam* ſ. *docendi prouinciam* referendam exiſtiment. Nonne enim, dum

Ieſus verbis prioribus: τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ aperte negabat, doctrinam, quam hominibus traderet, (ῥήματα i. q. διδαχήν Io. 3, 34. 5, 47.) ipſius deberi ingenio et arbitrio, auditores ſuos ipſe veluti iubebat exſpectare, fore, vt eos verbis ſequentibus de vera doctrinae ſuae origine enuntiatione poſitiua edoceret? Iam quum eiusmodi enuntiatio adfirmans re vera ſequatur (verbis praecedentibus per voculam δὲ adnexa, oppoſitioni ſignificandae inſeruire ſolitam): ὁ δὲ πατὴρ, ὁ ἐν ἐμοὶ μένων, αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα; ipſa paralleliſmi ratio (in ſermonibus Chriſti apud Ioannem obuiis praecipue ſpectanda) pluribus huius effati interpretibus perſuaſit, phraſin ποιειν τα εργα h. l. non differre a verbo λαλειν, atque ſententiam hoc fere modo eſſe capiendam; „doctrinam, quam vo„bis trado, minime a me profectam trado; immo „pater ipſe, qui mihi perpetuo adeſt, (per me) „hoc docendi negotium perficit (doctrinam trado, „quam Deus ipſe mihi contingere iuſſit, atque ho„minibus me interprete voluit patefieri) [23]). Liceat tamen huius interpretationis defenſoribus ante

23) Simillima apparet ea loci interpretatio, quam V. Ekermannus propoſuit in ſymbolis theologg. Vol. V. Faſcic. II. p. 82. verba Chriſti v. 10. ita circumſcribens: „was ich euch lehre, das lehre ich nicht aus eignem eigennützigem ſinnlichen Antriebe; ſondern von Gott, von Eifer für Gottes Willen angetrieben; und *was ich durch meine Lehre ausrichte*, das iſt das Werk meines Vaters, der in mir bleibt u. ſ. w.“

omnia argumentum opponere philologicum. Desideramus profecto alia N. T. loca, quae comprobent (id quod illi interpretes ex vnius noſtri loci paralleliſmo quodam colligunt) formulam ποιειν τα εργα per vſum loquendi vel cum verbo λαλειν ſ. διδασκειν (doctrinam tradere, docendi negotium perficere) permutari, vel κατ' εξοχην de eo, qui docendo aliquid efficiat, adhiberi potuiſſe [24]). Quod vero cauſas attinet, quae nonnullos recentiorum interpretum mouerunt, vt vulgarem atque ſollennem loquendi vſum relinquerent, his profecto (ſi quis accuratius easdem indagauerit) nulla ineſſe vi-

---

24) Prouocarunt quidem ad locum ſimilem Io. 8, 28, vbi Ieſus coram Iudaeis haec profitetur: „quando hominis fili„um (Meſſiam) in crucem egeritis, tum intelligetis, me il„lum eſſe (quem dixerim), *neque meo arbitratu quidquam* „*facere, ſed, quae a patre fuerim edoctus, eadem homines* „*docere.*“ Quanquam negari non poteſt, verba: και — ουδεν ſequentibus; αλλα — ταυτα λαλω ita cohaerere, vt vna eademque ſententia primaria priori quidem membro negatiue, poſteriori poſitiue enuntiata appareat; nihil tamen poteſt ex illa orationis ſerie, niſi hoc vnum colligi, verbum ποιειν h. l. minime *ſola facta* Ieſu Chriſti *inſignia* complecti (quum ſponte pateat, anguſtiori illa ſignificatione ad noſtrum locum transferenda praepoſitionem αλλα ſenſu idoneo prorſus deſtitui). Neque orationis ſeriem violamus, neque ab vſu loquendi discedere cogimur, ſi modo verbum ποιειν ſenſu latiſſimo acceperimus, ita vt, *quaecunque Ieſus faciat* (ipſam quoque docendi prouinciam, eiusdemque adminiſtrationem) complectatur. Nolim igitur e loco laud. demonſtrare, loquendi vſum permittere, vt formula ποιειν τι ſ. ποιειν εργα *de ſolo actu docendi atque doctrina aliquid efficiendi* intelligatur.

detur neceſſitas, quae nos iubeat verbis ποιειν τα εργα ſignificationem obtrudere nouam, neque exemplis comprobatam idoneis. Nolim equidem e verbis v. 10. prioribus: τα ῥηματα, ἁ εγω etc. quibus Seruator de doctrinae ſuae indole atque origine aliquid *negando* enuntiat, demonſtrare, enuntiationem, quae ſequatur, *poſitivam*: ὁ δε πατηρ etc. non poſſe niſi de ſermonibus Ieſu Chriſti eiusque doctrina recte intelligi (ipſo potiſſimum loquendi vſu repugnante). Immo, dum Ieſus *negabat*, e ſuo ipſius ingenio atque arbitrio profectam eſſe doctrinam, quam hominibus innoteſcere iuberet, *tacite adfirmabat*, eandem a Deo patre ſibi eſſe traditam (quam quidem adfirmationem tacitam auditoribus ſuis haud obſcuram fore, eo maiori iure exſpectare potuit, quo ſaepius iam alio tempore vtrumque verbis perſpicuis profeſſus fuerat, cfr. Io. 7, 16. 28. 8, 28. 12, 49.) Viciſſim, dum *adfirmabat*, Deum patrem (per ipſum) ea, quae ederet, facta et opera perficere, *tacite negabat*, ſe propriis viribus et proprio arbitratu talia edere facta (Io 5, 19. 36. 10, 37.). Tota oratio breuis eſt atque conciſa. Neque nobis hanc interpretandi viam cum B. Storrio [25]) ineuntibus, voculam δε (ὁ δε πατηρ etc.) obſtare dixerim. Teneamus modo, ſolere eam non tantum membris

25) cfr. B. Storrii diſſert. II. in Apocal. quaedam loca ad 21, 23. eiusdemque monita in V. Flattii promtuario: Magazin für chriſtl. Dogmatik und Moral, 2tem Stück S. 80. ff. n. 60.

atque ſententiis ſibi inuicem opponendis inſerüire, ſed etiam iis, quae vel ex antea dictis colligantur, vel inſuper addantur, et praecedentibus adnectantur, ſaepius praemitti (cfr. v. 21. ὁ δὲ ἀγαπῶν με etc.). Quae quum ita ſint, nihil eſt, quod nos prohibeat, quo minus ſententiam v. 10. hac ratione explanemus: „nonne credis, me patri, „patrem mihi eſſe coniunctiſſimum? Sermones, „quos coram vobis profero, minime a me pro„fectos eloquor (immo a Deo patre mihi ſuppe„ditatos); atque hic ipſe pater, qui mihi con„iunctiſſimus eſt, (per me) opera (facta) mea per„ficit.“ Hucusque disputatis comprobaſſe mihi videor, phraſin ποιειν τα εργα parum recte tam anguſtis circumſcribi terminis, vt ſolam inuoluat verbi λαλειν ſ. διδασκειν notionem. Reſtat, vt videamus, an forte ad veritatem propius accedant, qui vocem εργα h. l. *quaeuis Ieſu Chriſti facta* [26]), quatenus proba ſint, honeſta, voluntati diuinae conſentanea (ſiue in hominibus verſentur edo-

26) Cfr. Paulus in comment. laud. auch etwas über die Abſicht etc. qui ſententiam v. 10. 11. his verbis interpretatur: „dadurch, daſs ich Gott wohlgefällig handle, laſſet euch, wenn ihr es noch bedürfet, überzeugen, daſs ich durchaus mit der Gottheit Eins bin — daſs ich alſo euch auch nicht anders, als wie es zur ewigen Beglückung nöthig iſt, zu handeln gelehrt habe. Und dieſs mein Handeln iſt nichts Unerreichbares. Wer nur mir zu folgen ſich überzeugt, kann eben ſo thätig, ja noch thätiger ſeyn, als ich (unter den Hinderniſſen, unter welchen ich Bahn zu brechen hatte) ſeyn konnte.“

cendis atque emendandis, siue in morbis sanandis, aliisque hominum malis tollendis atque subleuandis, siue ad vitam Christi publicam pertineant, siue ad priuatam) complecti iudicent. Huic autem quaestioni accuratius soluendae comparatio versus 11. egregie consulit: *credite mihi adfirmanti, me patri, patrem mihi esse coniunctissimum. Sin minus, propter ipsa facta mihi fidem habete.* Quum Iesus a discipulis postulet, vt fidem sibi habeant *adfirmanti*, se Deo patri esse coniunctissimum (ita vt, qui ipsum probe cognouerit, idem Deum patrem cognouisse recte dicatur) atque eos, qui forte hac in re (in illa, inquam, adfirmatione) acquiescere noluerint, ad εργα sua, tanquam luculenta veritatis effati sui documenta, ableget; patet profecto, εργα illa v. 11. commemorata ab ipsa doctrina Iesu Christi eiusque sermonibus aperte distingui, neque hos simul complecti posse. Nonne enim, quod Iesus *adfirmabat*, se Deo esse coniunctissimum, ad ipsius sermones pertinuit, eiusque doctrinae partem constituit primariam? Nonne ipsa declarat orationis indoles atque series, versum 11. antecedenti commati eo cohaerere parallelismo, quo verbis v. 10. τα ῥηματα — λαλω verba v. 11. πιστευετε — εν εμοι, itemque illis v. 10. sequentibus: ὁ δε — τα εργα posteriora v. 11. verba: ει δε — μοι respondeant? [27]). Sed, quae de vera vocabuli

27) Cfr. commentatio mea superior (quae in hoc fasciculo locum secundum obtinet) de locis quibusdam euangelii Ioan-

ἔργα potestate v. 11. et 12. recte constituenda valent, eadem ad v. 10. (sequentibus coniunctissimum) transferri iubet iusta interpretationis constantia. Audimus Seruatorem vtroque commate (v. 10. et 11.) ad duo potissimum argumenta prouocantem, quae discipulis persuadere possint atque debeant, se Deo patri esse coniunctissimum, a) ad *sermones suos* (non ex ipsius ingenio et arbitrio profectos, sed ad Deum auctorem referendos), quibus homines de illa coniunctione intima *edocebat*, b) ad ἔργα (facta, opera), quae per ipsum Deus pater perficiat. Cuiusnam igitur generis sunt illa Iesu Christi ἔργα, ab eiusdem docendi actu atque negotio prorsus distinguenda? Intelligitne cetera ipsius facta omnia, quatenus sancta erant, atque diuinae voluntati congrua (nulla tamen miraculosae factorum quorundam indolis ratione habita)? Consulamus primarium totius effati consilium. Quemadmodum Iesus, dum v. 10. ad ῥήματα sua prouocabat, et v. 11. fidem postulabat sibi habendam, coniunctionem intimam, quae ipsum Deo iungat, adfirmanti, absque dubio ponebat, sermonibus suis atque doctrinae aliquid inesse, quod hominibus sponte

---

nei, vbi hunc locum, alia opportunitate oblata, paucis tractaui, atque causam attuli, quare iis non omnino adsentiri possim, quae Doctiss. Stark in libro iam laud. de eodem loco (acute quidem) differuerit.

perſuadere, valeret, Ieſum voluntatis diuinae eſſe interpretem, a Deo legatum; ita, dum v. 10. ἔργα ſua commemorabat, quae Deus per ipſum ederet ac perficeret, et v. 11. fidem poſtulabat ſibi διὰ τὰ ἔργα habendam, aeque ponebat, hisce ἔργοις aliquid ineſſe, quod diſcipulis argumento inſeruire poſſet luculentiſſimo, Deum patrem per Ieſum haec perficere (i. e. Ieſum haec facta ita edere, vt plane ſingulari gauderet Dei moderamine et auxilio) ideoque illius effati: ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί veracitatem extra omnem dubitationem eſſe poſitam. Potuitne Ieſus, tali conſilio ſatisfacturus, in eo acquieſcere, quod vniuerſe ad honeſtatem factorum ſuorum prouocabat, diuinae voluntati conſentaneam? Minime vero. Quanquam vitae, orumque honeſtas omnino comprobat, hominem, cuius agendi ratio tali indole gaudeat, Deo probari, eiusque effatis fidem eſſe habendam (niſi ipſe potuerit decipi); nihil tamen ineſſe video factorum probitati, quod *coniunctionem plane ſingularem* arguat, quae hominem ita agentem inter et Deum intercedat, atque *ſingularis*, quo Deus eum iuuet, *auxilii* veſtigia ſuppeditet [28]). Immo factis talia probaturis ineſſe

28) Nouimus quidem, phraſes illas in euang. Io. frequenter obuias, quibus Seruator coniunctionem praedicet intimam, quae ipſum Deo iungat, non vbique eiusmodi innuere praerogatiuam, quae in ſolam cadat Ieſu Chriſti perſonam. Exemplum nobis luculentiſſimum ſuppeditat effatum apud Io. obuium 17, 20. 21. ἵνα πάντες ἓν ὦσι· καθὼς σὺ, πάτερ,

aliquid oportet, quod plane eximium appareat, ab iis, quae vulgo fieri et euenire solent, differat, hominesque omnipotentiae diuinae curam atque efficaciam praecipua quadam perspicuitate et grauitate iubeat agnoscere et admirari. Quis autem est, qui neget, tali indole ea potissimum Iesu Christi facta esse conspicua, quae alibi σημεια, τερατα, δυναμεις appellentur? [29]). Attamen, ne

---

ἐν ἐμοί, κἀγω ἐν σοί, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἓν ὦσιν et v. 22. 23. ἵνα ὦσιν ἕν, καθως ἡμεῖς ἕν ἐσμεν· ἐγω ἐν αὐτοῖς, καὶ σὺ ἐν ἐμοί. Etenim, quum l. l. necessitudo atque coniunctio, quae partim discipulos Iesu Christi inter atque Iesum Deumque patrem interceſſura sit, partim ipsos eius sectatores sibi inuicem vinculis firmissimis conciliatura, talis fore dicatur, qualis illa sit coniunctio, Iesum inter Deumque intercedens; facile patet, de intimo voluptatis studiorumque consensu esse cogitandum. Alia est nostri effati indoles. Nostro quippe loco eiusmodi coniunctionem praedicari, Iesum inter Deumque obtinentem, quae nequeat eodem sensu atque iure de aliis praedicari hominibus, inde patet, quod verba Christi (v. 10.) ἐγω ἐν τῳ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί accuratiorem contineant illius effati interpretationem, quo (v. 7. 9.) adfirmauerat, qui ipsum (Iesum) probe cognouerit, eundem iam Deum quoque patrem vidisse (recte cognouisse).

29) Obiici quidem possit, Seruatori omnino licuisse ad εργα sua, coniunctionem singularem testantia, quae ipsum Deo patri iungat, eatenus prouocare, quatenus honestate *summa et omnibus numeris absoluta* essent conspicua, qualem nemo vnquam hominum exercuisset. His respondemus, a) Seruatorem (cuius sanctitas modestiae summae esset coniunctissima) nunquam virtutem suam perfectam coram ho-

quid forte neglexiſſe videamur, quod e verbis ſequentibus ad veram Subſtantiui ἔργα poteſtatem recte definiendam commode poſſit erui; conſulamus porro, quae Ieſus v. 12. addit: *adfirmo Vobis, eum, qui fidem mihi habuerit, eadem, quae ipſe peragam, immo his maiora eſſe praeſtiturum, ſiquidem iam ad patrem* (Deum) *reuertar.* Iam videmus quidem eos interpretes, qui negant, Seruatorem v. 10. 11. 12. de miraculis ſuis diſputaſſe, in verbis Ieſu Chriſti: καὶ μείζονα τούτων ποιήσει propterea haerentes, quod parum recte dici potuerit, miracula Apoſtolorum iis, quae Ieſus ediderit, fore μειζονα. Quam difficultatem nolim equidem cum nonnullis interpretibus ita tollere, vt Seruatorem miracula per Apoſtolos patranda non tam internae horum factorum indolis, quam copiae et multitudinis ratione habita μειζονα appellaſſe exiſtimem (probe diuinantem, Apoſtolos diutius, quam ſibi liceat, in hisce terris eſſe verſaturos). Quodſi enim verbis Chriſti

---

minibus praedicaſſe, immo re ipſa et factis eam demonſtrare maluiſſe (loco enim Io. ev. 8, 46. hoc tantum adfirmat, neminem ipſum poſſe fraudis conuincere), b) coram hominibus *illius ſaeculi*, qui partim nondum poſſent *totam vitam* Ieſu Chriſti in his terris peractam vno obtuitu intueri, partim miracula potiſſimum exſpectarent, tanquam indicia Meſſiae futura, vix potuiſſe *ſanctitatem* Ieſu Chriſti tanquam documentum coniunctionis intimae Dei et Chriſti proferri.

talem ſenſum ſubiecerimus; ſponte patet, vocabulum μειζονα nequaquam ſuo loco eſſe poſitum. Tutiorem viam ingreſſi ſunt, qui coniecerunt, Ieſum ſermone hyperbolico (ita comparato, vt propriam verborum ſignificationem minime premi oporteat) huiusmodi ſententiam enuntiaſſe vniuerſam, Apoſtolos miracula edituros eſſe maxima (documenta omnipotentiae diuinae eorum cauſam adiuuantis luculentiſſima). Cfr. ſimile ſermonis hyperbolici exemplum Matth. 17, 20. Malim tamen, alius loci veſtigia ſequutus (qui apud Ioannem exſtat in Ev. c. 5, v. 20. vbi Ieſus ſimiliter ad εργα per ipſum edenda, quae factis inſignibus, qualia hucusque patrauerit, μειζονα ſint futura, ſenſu proprio prouocat) in noſtro etiam commate explicando propriae verborum ſignificationi inſiſtere. Neque vlla apparet eiusdem relinquendae neceſſitas, ſi modo tenuerimus, Ieſum haec dicentem: καὶ μείζονα τούτων ποιήσει *non de ſolis* cogitaſſe *Apoſtolorum miraculis per ſe ſpectatis*, ſed *etiam de iis, quae partim hisce factis, partim omnino viribus ſuis diuinae religionis et veritatis cauſae conſecrandis, prouidentia diuina ipſorum ſtudia atque labores potentiſſime adiuuante, effecturi ſint.* Quanquam enim Ieſus illius nouae atque melioris rerum humanarum oeconomiae per ipſius doctrinam atque inſtituta condendae fundamenta iecerat firmiſſima (exiguo quidem, ſed fido ſectatorum coetu colligendo); probe tamen praeuidebat, quum vita

ſua terreſtris admodum breuis ſit futura, Apoſtolis (eo temporis ſpatio, quod ipſi in hisce terris eſſent emenſuri, multo maiorem ſectatorum copiam collecturis, atque doctrinam diuinam per plures terras propagaturis ampliorem aedificii, fundamentis illis ſuperſtruendi, conſummationem eſſe relinquendam. Quae quum ita ſint, vocem ἔργα (v. 10. 11. 12. obuiam) totius orationis nexui accommodatiſſime ita mihi interpretari videor, vt neque de doctrina Chriſti eiusque docendi negotio, neque de factis Ieſu Chriſti omnibus, quatenus honeſtate ſint conſpicua, atque diuinae voluntati quouis pacto conſentiant, immo de *effectis* intelligatur *ſenſibus conſpicuis*, *ſingulare Dei auxilium*, *quo cauſam Ieſu Chriſti diuinam adiuuet*, *declarantibus* (quibus ea potiſſimum facta comprehendi, quae alibi σημεια appellentur, atque τερατα, nemo facile negabit). Totius ῥησεως argumentatio ita ſe habet: „non eſt, quod precibus me adeatis, vt Deum vobis oſtendam. Videt quaſi Deum (i. e. Deum agnoſcit, quantum homini ſufficit), qui me recte cognoſcit, Deo coniunctiſſimum. Quo iure autem Deo coniunctiſſimum me appellem, cum ſermones mei docent, qui ita comparati ſunt, vt dubitari neqeat, me, quae a Deo acceperim, homines docere, tum facta oſtendunt, ſingulare Dei auxilium, quod cauſam meam adiuuat, teſtantia. Quodſi ſermonibus meis, de coniunctione illa, quae me Deo patri iungit, vos edocentibus, fi-

„dem denegatis, quam ſermones illi iam per ſe „ſpectati iure poſtulant; propter facta certe, quae „Deo iuuante edo, fidem mihi, velim, habeatis. „Neque ad ea tantum prouoco, quae me ipſum hu„cusque vidiſtis perficientem; immo, quod mihi „contigit, auxilium diuinum, idem mea cauſa mea„que opera ad vos quoque, apoſtolos meos, tran„ſiturum eſi. Adfirmo vobis, fore, vt qui fidem „mihi habuerit (qui fidus atque conſtans euaſerit „religionis meae ſectator, ad cognitionem eius in„ter homines promouendam paratiſſimus) non mo„do eiusmodi edat facta, qualia ipſe coram vobis „edere ſoleam, ſed etiam his maiora perficiat (ma„iora experiatur auxilii diuini cauſam meam po„tentiſſime adiuuantis teſtimonia).“ 30) Patet igitur

30) Verba v. 12. quibus Seruator iis, qui fidem ſibi habuerint, promittit *eos facta, qualia ipſe edat, immo his maiora* eſſe perfecturos, primo quidem obtuitu ita poſſint comparata videri, vt inde colligi debeat, noluiſſe Seruatorem ἔργα ſua *coniunctioni plane ſingulari, quae ipſum* (neque alios eadem ratione) *Deo iungat, comprobandae* inſeruire. Quae quidem dubitatio prorſus euaneſcit, ſi modo perpenderimus, facta illa, quae Ieſus ſectatores ſuos edituros eſſe dixerit, tanquam eiusmodi ἔργα deſcribi, *quorum edendorum poteſtas a fide pendeat* (ὁ πιςευων εις εμε) *Ieſu, mox ad patrem redituro ſuamque cauſam apud patrem curaturo* (ὁτι εγω προς τον πατερα πορευομαι) *habenda*, ideoque ad Ieſum redeat auctorem, quatenus ipſe talibus factis edendis initium fecerit illam cauſae ſuae auctoritatem diuinam comprobandi, quam Deus ſectatoribus Chriſti, fidem ei veram habentibus, potentiſſime adiuuandis, Seruatore ipſo pro illis apud Deum quaſi intercedente, porro ſit comprobaturus.

ex iis, quae hucusque disputata sunt, locum nostrum iure meritoque inter ea referri effata, quae comprobent, *Seruatorem facta sua insignia omnino voluisse auxilii diuini, eius causam adiuuantis, eximii, documenta exstare, atque ita veritatem eorum comprobare, quae de coniunctione intima et plane singulari, ipsum inter Deumque patrem intercedente, dixerit.* Eadem vero perspicuitate partim e v. 10 vbi ῥήματα prius commemorabat, quam ad ἔργα sua prouocabat, partim e verbis supra amplius illustratis v. 11.: εἰ δὲ μή, διὰ τὰ ἔργα αὐτὰ πιστεύετέ μοι, intelleximus, *noluisse Iesum facta illa insignia inter argumenta auctoritatis, qua ipse gaudeat, Deo patri coniunctissimus, locum obtinere principem.* Immo ad ἔργα sua eos ablegabat, qui non poterant in eo acquiescere, quod Iesus ipse de illa coniunctione intima, atque de consilio, quod Deus per ipsum inter homines consequi decreuerat, sermonibus eos edocuerat. *Volebat factis suis eam adiuuari fiduciam in veritate eorum, quae de auctoritate sua et dignitate enuntiauerat, reponendam, quae iam per ipsos sermones illos, quibus homines edocebat, excitari poterat atque debebat* [31]).

---

31) De hoc argumento interno, ex ipsa Iesu Christi doctrina repetendo, eiusque vsu a Seruatore facto (qualem e pluribus euangeliorum effatis cognoscimus) vberius disputaui in comment. antecedente de locis quibusdam euangelii Io.

§. 8.

Alium locum, vbi Ieſus ἔργα ſua commemorat, (quem ii interpretes in ſubſidium vocare ſolent, qui omnino negant, Ieſum apud Ioannem voce ἔργα miracula ſignificaſſe) exſtare monuimus Io. 15, 24. Audimus ibi Seruatorem Iudaeos, quam grauem ſuſtineant culpam, qui partim ſibi ſtruant inſidias, partim ſectatores ſuos vexaturi ſint, his verbis edocentem: εἰ τὰ ἔργα μὴ ἐποίησα ἐν αὐτοῖς ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν, ἁμαρτίαν οὐκ εἴχον· νῦν δὲ καὶ ἑωράκασι καὶ μεμισήκασι καὶ ἐμὲ καὶ τὸν πατέρα μου: *niſi facta inter eos edidiſſem, qualia praeter me nemo edidit, nullam* (ſ. *minorem*) *culpam ſuſtinerent; iam vero, etſi illa viderint, tamen me et patrem meum oderunt.* Qui Subſtantiuo ἔργα locis Ioanneis, de quibus noſtra inſtituitur disputatio, eam vim et poteſtatem, qua *facta* ſignificet *inſignia*, denegant, eo ſolent prouocare, quòd Ieſus neutiquam adfirmare potuerit, eiusmodi facta inſignia, qualia ipſe patrauerit, alium edidiſſe neminem (quum ex hiſtoria V. T. pateat, inſigniora fuiſſe Moſis miracula). Proinde vocem ἔργα l. l. vel de *quibus uis Ieſu Chriſti factis* intelligunt, ſummum honeſtatis, Deo probatae et acceptae, ſtudium declarantibus, vel de *eius negotiodoctrinam tradendi diuinam* [32]). Attamen,

32) Ita V. Ekermannus iudicat in ſymbolis theologicis Volum. V. Faſcic. II. p. 84. ſententiam v. 24. his verbis explicans: „hätte ich nicht Geſchäfte (Lehrgeſchäfte) unter ihnen aus„gerichtet, die kein anderer, als Gott, mein Vater, durch

quemadmodum cauſa illa (e verbis v. 24. ἔργα, ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν depromta) quae nonnullis interpretibus perſuaſit, vocem ἔργα h. l. non poſſe miracula innuere, minime ſufficit ad refutandam vulgarem interpretationem; ita argumenta idonea prohibent, quo minus Seruatorem *ſola docendi negotia* intellexiſſe arbitremur. Etſi enim conceſſerimus, Moſen et prophetas facta quaedam edidiſſe inſignia, quae pariter atque miracula Chriſti ab ordine naturae vulgari prorſus eſſent aliena, ipſa tamen docet hiſtoria, Ieſum ab eo inde tempore, quo initium feciſſet publice docendi, vsque ad eum diem, quo verba illa (v. 24. obuia) pronuntiaret, tot, tam varia, tam benefica edidiſſe facta inſignia, eademque ſimul virtutem Chriſti perfectam ſummamque pietatem tam perſpicue declarantia, vt recte poſſet adfirmare, alium neminem eiusmodi ἔργοις (tam exiguo potiſſimum temporis ſpatio) perficiendis fuiſſe inſignem. Cfr. B. Storrius in V. Flattii promtuario: Magazin für chriſtliche Dogmatik und

---

mich bewürkt hat, und von welchen es ſo einleuchtend iſt, daſs ſie der Wille Gottes ſeyen, und von Gott durch mich bewürkt; ſo wären ſie zu entſchuldigen. Allein ſie haben es geſehen, wie ich immer geſchäftig geweſen bin, den Willen meines Vaters zu befördern; folglich, indem ſie mich und meine Belehrungen und Ermahnungen nicht geachtet haben, ſo haben ſie den Willen meines Vaters, den Willen Gottes nicht achten wollen, den ich ihnen bekannt gemacht habe."

Moral, zweytem Stück n. 60. [33]). Eorum vero interpretum ſententia, qui vocem ἔργα ad ſolam docendi prouinciam referunt, duplici premitur incommodo, quum partim (vt ſupra docuimus) nondum demonſtratum fuerit, phraſin ἔργα ποιεῖν pro λαλεῖν ſ. διδάσκειν recte accipi, partim (propter v. 22. vbi Ieſus verbis: εἰ μὴ ἦλθον, καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς, ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον, iam ſatis aperte ad ſuam doctrinam atque inſtitutionem prouocauerat) ex eiusmodi interpretatione tautologia proditura ſit manifeſta, neque euitanda. Vtramque difficultatem eos quidem video euitantes, qui Ieſum v. 24. argumentum dignitatis ſuae et auctoritatis inde petiiſſe exiſtimant, quod tota, quam ſequeretur, agendi ratio ea gauderet honeſtate, Deo probata ac deuota, quam praeter ipſum nemo praeſtitiſſet. Neque negauerim, potuiſſe Seruatorem ex illa factorum ſuorum honeſtate ſumma

33) Cfr. etiam *Breitenſtein:* das Euangelium Johannis überſetzt mit Erläuterungen (Marburg, 1813.) p. 349. Coniecit quidem Doctiſſ. *Stark* in comment. nota 2. laud. p. 52. ſq. Chriſtum verbis: α ουδεις αλλος πεποιηκεν *negando* tantum exprimere voluiſſe, quod vulgo adfirmando diceret: quae ego ago, qui ſum Meſſias, ideoque omnino non de eo quaerendum eſſe, quomodo miracula Chriſti ſic deſcribi potuerint, vt nemo alius talia feciſſe diceretur. Sed, quantum equidem intelligo, ſententia inde prodit, et oratio, quae frigidi quid et otioſi habeat, neque video, quomodo illud: quae ego ago, qui ſum Meſſias, ex verbis: α ουδεις etc. ſi propriam et ſimplicem eorum ſignificationem ſequamur, elici recte poſſit.

diuinae voluntati accommodatiſſima, perpetuo ſibi conſtante, argumentum veritatis eorum, quae de legatione ſua diuina dixerit, idoneum repetere. Liceat tamen quaeſtionem mouere: quo tandem iure illi interpretes vim ac poteſtatem vocabuli ἔργα l. l. tam anguſtis circumſcribant terminis, vt nonniſi *probitatem* factorum Ieſu Chriſti ſpectandam eſſe iudicent, omnemque cogitationem illius naturae atque indolis, quae pluribus Ieſu Chriſti factis (tanquam ἔργοις *effectu* ſuo plane inſignibus et extraordinariis, σημείοις atque τέρασι) eſſet propria, remoueri iubeant? Neque enim ipſi Subſtantiuo ἔργα per ſe ſpectato (de cuius vſu latiſſime patente ſupra diſputauimus), neque ceteris, quae Ieſus v. 24. enuntiat, aliquid ineſſe video, quod nos prohibeat, quo minus Seruatorem *quaeuis facta ſua* ita commemoraſſe concedamus, vt pariter ad vniuerſam reſpiceret vitae ſuae probitatem, atque ad eam indolem, qua plura ipſius facta, tanquam documenta vis diuinae Ieſum adiuuantis plane eximia gauderent. Quodſi noſtrum locum inſuper cum illo effato contulerimus, de cuius ſenſu ſupra diſputauimus (Io. 14, 10. ff.); ipſa vtriusque loci ſimilitudo, non tantum in verbis, ſed etiam in tota ſententiarum indole atque ſerie conſpicua facile nobis perſuadebit, noſtro etiam loco notionem *factorum inſignium* haud eſſe negligendam. Quemadmodum enim Ieſus c. 14. v. 10. 11. coniunctionem intimam, quae ipſum inter Deumque patrem intercedebat,

ita comprobauerat, vt partim ad sermones suos, partim ad ἔργα prouocaret; ita c. 15. *duas profert causas atque rationes, quare Iudaei, qui legationem eius diuinam agnoscere nolint, excusari nequeant, alteram inde depromtam, quod ipse eos de auctoritate sua sermonibus edocuerit* (v. 22.), *alteram e factis ab ipso editis* (v. 24.). Obiecit quidem huic argumentationi Doctiss. *Stark* in commentatione saepius iam in notis laudata p. 51. facta Christi insignia, auctoritatem eius Messianam comprobantia, propterea existimari non posse h. l. a sermonibus Christi, qui idem declarauerint (v. 22.) tanquam argumentum singulare distingui, quod v. 22. doctrina *de Deo* potius, quam *de Messia* commemorata fuerit. Nonne vero plura effata luculentissime docent, ea, quae Christus de Deo atque consiliis diuinis ad homines spectantibus hominibus patefaceret, doctrinae de *ipso* (Christo, legato, filio, interprete Dei) tam arcte coniuncta fuisse, vt Iesus iure meritoque dicere posset, quemuis hominem, qui ipsum (Christum) recte cognoscat, Deum quoque recte cognoscere (v. c. Io. 8, 19. 14, 7.) et, quicunque Deum recte cognoscat, Deum diligat, Dei voluntatem curet, non posse non de vera Iesu Christi dignitate et legatione diuina sibi persuadere (Io. 5, 37—44. 8, 40. 42. seqq.)? Neque cum eodem interprete doctissimo (vocem ἔργα ad quaenis opera Christi Messiana, docendi quoque negotium referente) dixerim (p. 50. sq.), Iesum ea de causa non potuisse v. 24. facta potissimum extraordinaria ab ipso edita

intelligere, quod historia doceat, Mosen (quem Iudaei illi Christo praeferrent) miracula magis stupenda patrauisse. Liceat mihi ad ea prouocare, quae supra de sensu differui, quo Iesus miracula sua (praesertim, si ad indolem quoque horum factorum moralem praestantissimam respexerimus) iure meritoque aliis omnibus in terra editis *maiora* appellare potuerit.

Docuimus hucusque, vtrumque effatum non tantum non repugnare Theologis, vocabulo ἔργα in sermonibus Christi apud Ioannem obuiis significationem *factorum insignium* vindicantibus, sed etiam eiusmodi interpretationem postulare, quae notionem illam diligenter tueatur. Restant duo effata apud Ioannem obuia, iis, quae hucusque persequuti fuimus, iam comparanda (5, 36. 10, 25. 37. 38.).

§. 9.

Quod locum priorem attinet, quanquam v. 36. cap. 5. dictum continet, quod in nostra disputatione spectari debeat, primarium; prior tamen eiusdem capitis commata inde a v. 17. quaestioni nostrae de v. 36. instituendae ita cohaerent, vt argumentum totamque seriem orationis Iesu Christi, quae loco laud. legitur, ante omnia explanari oporteat [34]). Iesus, quum Iudaeos vidisset pro-

34) Vim probandi, quae loco Io. inhaereat, separatim libellis illustrarunt academicis *Millerus* in comment. de vi ar-

pterea sibi infensos atque insidiantes, quod die Sabbati hominem aegrotum sanasset, v. 17. facti sui honestatem atque iustitiam his verbis demonstrasse dicitur: ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι; quemadmodum pater meus ad hoc vsque tempus operatur, ita ego quoque operor (s. ita me quoque oportet operari). Iudaei, manuum laborem Sabbati die illicitum pronuntiantes, partim ad locum Genes. 2, 1 — 3. solebant prouocare, vbi Deus, absoluta terrae coelorumque creatione septimo die quieuisse dicitur, illumque septimum diem sollennem haberi et celebrari voluisse, partim ad praecepta, quibus in Exodo c. 31, 12 — 17. 20, 8 — 11. sanctitas Sabbati hoc potissimum argumento commendatur, quod Deus ipse die septimo ab omni suo opere cessauerit. Quanquam Iesus minime de sanctitate Sabbati vllo modo inpugnanda cogitabat, illam tamen superstitionem ineptam, virtuti verae noxiam, grauiter inprobabat, cui perperam Iudaeorum haud pauci indulgebant, sanctitatem illam per eum quoque laedi et violari iudicantes, qui Sabbati die opera sua et labore vitae hominis seruandae eiusque desideriis grauissimis consuluisset. Proinde, vt partim huius

---

gumenti, quod pro diuinitate vera Iesu Christi ex patratis cum ab eo (Io. 5, 17 — 30.) tum numine ipsius ab apostolis, miraculis ducitur, Gottingae, 1780. 4. et V. *Weberus* in progr. de consilio, quod Iesus se in miraculis suis spectasse ipse professus est, Viteb. 1802. 4.

iudicii temeritatem impugnet, partim suum defendat factum, ad exemplum ipsius Dei prouocat; ostendit, Deum, etsi ab illo creationis opere septimo die veluti quieuerit, minime tamen ab illo inde tempore otiosum fuisse, immo quouis die operari (hominibus benefacientem); colligitque, decere ipsum, filium Dei (v. 19. 20.), patrem [35])

35) Aliter quidem de sententia v. 17. S. V. Weberum iudicantem video in comment. supra laud. p. 5. ſſ. Existimat quippe, Iesum l. l. minime ad exemplum Dei prouocasse, quod sibi imitandum proposuerit, immo hoc egisse, vt Iudaeos ad vim diuinam plane singularem, qua iuuante factum illud ediderit, attentos redderet, atque ita se purgaret a crimine profanationis Sabbati. Verba Christi: ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι, ita intelligit, tanquam si Iesus dixerit: ἃ ἐγὼ ἕως ἄρτι ἐργάζομαι, ὁ πατήρ μου ἐργάζεται: „miracula, quae hucusque patrani, Deus pater (per „me) edidit; a Deo patre profecta sunt, me, tanquam ipsius „legatum ac ministrum, adiuuante, atque prouinciam, ta„lia perficiendi, mihi demandante; quodsi illa hominis coe„ci sanatio ab ipso Deo, non a me profecta est, non me ac„cusare licet, Deus vobis accusandus est, si placet, cuius „voluntati equidem resistere non possum.“ Quanquam Auctor Eruditus ad duo potissimum N. T. loca (Matth. 18, 21. Io. 6, 57.) prouocat, vbi similiter duae enuntiationes (e more loquendi hebraico) ita ponantur, vt alterutra, vel prior, vel posterior, pro membro inciso habenda sit; equidem tamen vulgarem v. 17. interpretationem, quae huc redit, vt Iesus ad exemplum Dei patris, quod imitari debeat, prouocasse putetur, ea de causa deserere non possum, quod partim (ipsius verborum structurae grammaticae ratione habita) simplicitate natiua commendatur, partim iis, quae v. 19. sequuntur (ἃ γὰρ ἂν — ὁμοίως ποιεῖ) et v. 21. aptissima appareat. Neque sententia ipsa habet, quo quis vlla ratione offen-

imitari. Res ipsa docet, verbum ἐργάζεσθαι, quo Iesus in hac apologia breuissima, quae v. 17. contineatur, vsus fuerit, de factis potissimum insignibus esse intelligendum (quum illa hominis coeci sanatio, Sabbati die peracta, quae Iudaeos illos contra Iesum excitauerat, factorum insignium numero eximi nequeat, nisi quis totam narrationem contortius quam verius voluerit interpretari). Etsi Iesum l. l. minime ex industria de consilio, quo miracula ediderit, audiamus disputantem; haud obscure tamen haec ipsa declarat apologiae ratio atque indoles, Seruatorem eiusmodi facta patrantem omnino de eo cogitasse, *vt viriuni, a Deo ipsi concessarum, vsum faceret hominibus salutarem, atque diuinae voluntati consentaneum.* Quae Iesus, factum suum defensurus, v. 17. monuerat, non modo non placabant aduersarios malignos, sed etiam nouam iis suppeditabant opportunitatem, Iesum impietatis accusandi (v. 18.), quippe qui, quum v. 17. suam agendi rationem diuinae comparasset, ad exemplum Dei patris prouocando, Deum sensu quodam eximio suum patrem (ἰδιον πατερα) appellasset, atque numini supremo parem sese tulisset, diuinam auctoritatem et potestatem sibi vin-

---

datur. Dum Iesus, voluntati diuinae obsequutus, facta edebat insignia, eademque *benefica*, imitabatur profecto exemplum Dei patris, humano generi quouis tempore benefacientis.

dicans [36]). Iam igitur consultissimum putabat, apologiae facti sui breuissimae, quae v. 17. continebatur, copiosiorem subiicere explicationem familiaritatis intimae, ipsum inter Deumque patrem intercedentis, vnde pateret, qualem sibi vindicasset auctoritatem, et, quonam iure antea, factum suum defensurus, ad exemplum ipsius Dei prouocasset. Pergit ita (v. 19. 20.): ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν· οὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν ἐὰν μή τι βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα· ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ· ὁ γὰρ πατὴρ φιλεῖ τὸν υἱὸν καὶ πάντα δείκνυσιν αὐτῷ, ἃ αὐτὸς ποιεῖ· καὶ μείζονα τούτων δείξει αὐτῷ ἔργα, ἵνα ὑμεῖς θαυμάζητε. „Adfirmo vobis, „non posse (non decere) filium sponte quid facere, „quod patrem facientem non viderit; quaecunque „enim ille agit, similiter agit filius. Etenim pater „amat filium, et quaecunque agit, ei ostendit, „immo his maiora opera ei ostendet, vt miraturi „sitis.“ Triplicem potissimum viam inierunt in-

36) Iesus, dum Sabbati die hominem aegrotum sanabat, videbatur Iudaeis illis legem de sanctitate Sabbati seruanda ab ipso Deo latam et sancitam violasse. Cuius facti rationem redditurus quum ad ipsius Dei exemplum prouocasset, Deum simpliciter suum appellans patrem; coniecerant inde Iudaei circumstantes, Iesum nequaquam eo tantum sensu, quo formula υἱος του θεου apud Iudaeos ad reges, principes, ipsumque Messiam transferri soleret, sed etiam alio sensu sublimiori et plane singulari Dei filium se appellasse, eiusmodi potestatem sibi vindicantem, quae diuinae prorsus sit aequiparanda (quae sufficiat ad legem abrogandam, cuius tollendae ius et auctoritas Deo tantum legislatori competat).

terpretes, eam vim et potestatem, quam verbum ποιειν h. l. obtineat, accuratius definientes; aliis quippe de factis Iesu Christi omnibus, aliis de miraculis tantum, aliis de doctrina Christi et institutione cogitantibus. Quam postremam rationem qui sequuntur [37]), sententiam effati his fere verbis explicant: „adfirmo vobis, non posse filium spon„te (suo tantum ingenio et arbitrio obsequutum) „aliquid docere, nisi patrem ita docentem viderit „(nisi a Deo patre hac de re fuerit edoctus). Quae „pater (ipsum) docet, de iisdem filius similiter (ho„mines) edocet. Etenim pater, quum filium amet, „quaecunque ipse docet (s. doceri vult) filio iubet „innotescere; immo accuratius et copiosius eum „curabit edocendum, ita vt vos miraturi sitis.“ Existimant quippe, voluisse Seruatorem facti insignis Sabbato editi rationem ita reddere, vt sancte adfirmaret, se nulla profecto sequi decreta atque placita, nisi, quae a Deo patre acceperit. Attamen, quantum equidem video, verbis Iesu Christi vim inferre solent manifestam, qui talem v. 19. et 20. interpretationem amplectuntur. Quemadmodum enim demonstrare nequeunt, vsum loquendi permittere, vt vel verbo ποιειν per se spectato vim et potestatem του διδασκειν, vel Substantiuo εργα notionem doctrinae et institutionis vindi-

37) Cfrr. Briefe über das Evang. Jo. von verschiedenen Verfassern, in Eichhorn allgemeiner Bibliothek der biblischen Litteratur, 7ten B. 6tes Stück.

cemus (cfr. quae supra ad locum Io. 14, 10. 11. disputata sunt); ita sponte patet, quam contortam et obscuram orationem Iesu Christo ii obtrudant, qui e verbis: ἐὰν μή τι βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα, illam eruant sententiam: nisi a Deo patre hac de re fuerit edoctus. Accedit ad augendam huius explicationis duritiem magnam, quod in antecedentibus nihil profecto appareat, quod interpretem iubeat eiusmodi viam tortuosam ingredi, quum v. 16 — 19. de facto quodam, cuius defensionem Iudaei postulabant, neque de doctrina Seruatoris sermo fuerit, ipsumque verbum ἐργαζεσθαι v. 17. obuium propter totam orationis seriem minime possit pro διδασκειν accipi. Immo, quo diligentius hoc effatum cum antecedentibus comparo, tum iis, quae inde a v. 21. sequuntur (vbi Iesus, quaenam sint ἐργα illa μειζονα v. 20. annuntiata, ipse explicat, ita vt de negotio disputet duplici, quod Deus ipsi demandauerit, et mortuos in vitam reuocandi, et iudicii de hominibus instituendi); eo certius mihi persuadeo, Seruatorem h. l. neque de *sola docendi prouincia* cogitasse, neque de *solis eiusmodi factis insignibus*, quale nunc ediderat, homine, qui coecus fuerat, sanando, immo *de omnibus, quae salutis hominum vel singulorum vel omnium, qui salute digni fuerint, adiuuandae gratia et hucusque effecerit, et in posterum sit effecturus*, quibus illa etiam facta comprehendi, σημεια et τερατα appellari solita, nulla indiget demonstratione. (Hac in re omnino adsentior iis,

quae Doctiſſ. *Starck* in commentario ſaepius laudato excurſu I. p. 12. ſeqq. diſſeruit.) Negat, ſe talia poſſe ἀφ' ἑαυτου efficere et operari. Quae quidem phraſis per ſe ſpectata eſt ambigua. Dicitur enim aliquid ἀφ' ἑαυτοῦ perficere, qui vel *ſuis* perficit *viribus*, vel *ſua* agit *auctoritate* et *proprio arbitrio*. Cfr. S. V. Weberi commentatio: interpretatio iudicii, quod Ieſus Io. 7, 14 — 18. de ſua ipſius doctrina tuliſſe legitur, Viteb. 1797. p. 6. 7. Conſulamus interpretationis logicae principia, huius etiam formulae ambiguitati tollendae adhibenda. Quodſi partim ad ea attenderimus, quae ſequuntur, formulam οὐ ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν haud obſcure explicantia: ἐὰν μή τι βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα, partim ad verſum 21. et 22. (vbi Ieſus exemplo docet, quo ſenſu atque iure ſuam agendi et operandi rationem ad exemplum Dei prorſus compoſitam eſſe dixerit); facile, his inuicem comparandis, intelligemus, Ieſum, quum negaret, ſe (filium Dei) aliquid ἀφ' ἑαυτοῦ perficere, h. l. non tam vſus, quem faceret, ſuarum ipſius virium, quam arbitrii et voluntatis, quam ſequeretur, propriae cogitationem remoueri voluiſſe [38]). Dum vero Ieſus negat, *poſſe* (δυ-

38) Recte vidit V. Paulus in comment. ad h. l. huic propriae voluntatis cogitationi noſtro loco pariter atque aliis locis ſimilibus (a Paulo laudatis) notionem adhaerere eiusmodi voluntatis, quae ad facta feratur diuinis legibus placitisque contraria. Cuius ſententiae veritas partim e v. 30. patet, partim ex ipſo huius effati conſilio. Etenim, dum

νασθαι) filium ἀφ' ἑαυτου τι ποιειν, hoc sibi vult: ου πρεπει τον υἱον ποιειν etc.: non potest filius sui officii memor (s. *non decet* filium) ἀφ' ἑαυτου etc. (cfr. 3, 27.) Iam, quod modo negatiue enuntiauerat: ου δυναται — ποιουντα; idem (vt plerumque fieri solet in iis Iesu Christi sermonibus, qui apud Ioannem obueniunt) posteriori membro eloquitur adfirmando: ἁ γαρ αν etc. Quae de quouis valent filio bene educato, patri, qui ipse probus est atque honestus, obsequente, eumque vniuersa vitae suae ratione imitante, eadem Iesus sensu perfectissimo ad semet ipsum transfert, atque rationem, quae ipsum inter Deumque

---

Iesus negabat, se ἀφ' ἑαυτοῦ agere et operari, quae perficeret, illam hominis coeci sanationem Sabbati die peractam contra eos defendebat Iudaeos, qui factum illud legibus diuinis contrarium iudicauerant. — Voculae ει μη s. εαν μη subinde, vbi oratio regnat paulo negligentior, enuntiationem negatiuam ita subsequuntur, vt, si quis sententiam integram omnibusque numeris absolutam lucrari voluerit, enuntiationem illam ante voces ει μη membro opposito praemissas tacite repeti oporteat. Cfr. epist. ad Gall. 2, 16. οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ pro: οὐ δικαιοῦται — νόμου, οὐ δικαιοῦται ἐὰν μὴ διὰ etc. s. breuiter: οὐ δικαιοῦται — νόμου, ἀλλὰ διὰ πίστεως Ἰησ. Χρ. Matth. 12, 4. οὓς οὐκ ἔξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν, οὐδὲ τοῖς μετ' αὐτοῦ, εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι μόνοις pro: οὓς οὐκ ἔξὸν — μετ' αὐτοῦ, οὓς οὐκ ἔξὸν φαγεῖν τινι, εἰ μὴ τοῖς ι. μ. s. breuiter: οὓς οὐκ ἔξὸν — μετ' αὐτοῦ, ἀλλὰ τοῖς ι. μ. Eiusdem generis illa est dicendi ratio apud Io. 5, 19. οὐ δύναται — ποιοῦντα pro: οὐ δύναται — οὐδὲν (οὐ δύναται τι ποιεῖν) ἐὰν μή etc. s. breuiter: οὐ δύναται — οὐδὲν, ἀλλὰ (ποιεῖ τι) ἐὰν τι βλέπῃ etc.

patrem intercedat. Quemadmodum, ait, filius bene educatus patrem probum agentem attente obseruat, neque quidquam perficit, nisi hoc patris voluntati, ex eiusdem factis conspicuae, probe accommodatum esse nouerit, immo se totum ad exemplum patris atque imaginem componit et accommodat; ita meum est, exemplum Dei patris intueri, et factis operibusque meis imitari. Huius autem cognitionis, quam Iesus sibi vindicat, voluntatis Dei ex eiusdem operibus atque institutis conspicuae, originem ex amore, quo Deus ipsum complectatur, paterno, et familiaritate, quae ipsum Deo iungat patri, intima repetendam esse verbis docet v. 20. sequentibus: ὁ γὰρ πατὴρ φιλεῖ τὸν υἱὸν, καὶ πάντα δείκνυσιν αὐτῷ, ἃ αὐτὸς ποιεῖ. Quae quidem ita disputat, vt iterum ad ea respiciat, quae patrem probum inter atque filium honeste educatum, illi similem, fieri soleant. Licet eiusmodi filio eo facilius patrem imitari, ad eiusque exemplum se componere, quo maior vtrumque intercedit familiaritas. Solet quippe pater, qui filium amat, nihil coram illo abscondere; quaecunque ipse peragit, lubentissime filio patitur innotescere; immo viam et rationem ei ostendit atque suppeditat, similia perficiendi [39]). Prouo-

39) Verbum δεικνυειν h. l. pariter atque in seqq. minime simplicem tantum inuoluit *ostendendi* notionem, sed adiunctam habet certi του δεικνυειν consilii cogitationem, quod spectet

cat porro ad alia ipsius opera posthac edenda, iis, quae hucusque perfecerit, maiora, quae omnibus summa perspicuitate demonstratura sint, ipsum nihil agere atque operari, nisi quod Dei patris voluntati, decretis, institutis prorsus conueniat, atque a Deo ipsi fuerit demandatum: και μειζονα τουτων etc.: „immo pater filio (Deus „mihi) opera innotescere iubebit his grauiora (de „operibus, quae factis hucusque editis multum „praestitura sunt, ad ipsius exemplum perficien„dis me edocebit) quae vos in maiorem rapient „admirationem (quae facient, vt vos omnes, qui „hoc tempore facta mea iudiciis sinistris ac ma„leuolis persequimini, admirabundi consensum „agnoscatis perfectissimum, qui meam inter atque „diuinam operandi rationem obtineat).“ Spectatis singulis consilium totius effati v. 19. 20. primarium facile licebit accuratius cognoscere. Dum Iesus iterum copiosius adfirmabat, quod iam supra v. 17. paucis innuerat (hanc esse factorum suorum operumque indolem et naturam, vt voluntati diuinae prorsus conueniant, exemplum Dei pro salute hominum operantis imitentur, auctoritate Dei peragantur), atque Iudaeos haec audientes ad alia ipsius opera et facta ablegabat μειζονα, olim edenda, futura auctoritatis, qua

---

ad hominem, cui quid ostendatur, eo ipso de re quadam edocendum, eiusque agendi rationem gubernandam. cfr. Io. 10, 32.

ipſe agat, diuinae documenta; eam, quae v. 17. continebatur, facti inſignis et benefici Sabbato editi apologiam partim amplius illuſtrabat atque confirmabat, partim contra Iudaeos, e v. 17. perperam colligentes, Ieſum inpie eſſe loquutum, egregie defendebat (quum doceret, tantum abeſſe, vt numini ſupremo omni ex parte ſeſe parem ferret, vt ipſe confiteretur, ſe totam ipſius operandi rationem ſecundum Dei patris nutum atque exemplum componere, neque aliquid perficere, niſi hoc diuinae voluntati prorſus congruere noſſet). Quanquam in ea huius ſermonis parte, de cuius ſententia hucusque disputatum eſt, Ieſum nihil vidimus de *conſilio* profitentem, quo facta ederet inſignia; e verbis tamen v. 20. iam aliquid lucrati ſumus, quod ad rationem valet cognoſcendam, qua Ieſus de *pretio* factorum inſignium (σημειων atque τερατων), quae tempore ſuae in hisce terris commorationis edere ſolebat, iudicauerit. Intelleximus quippe, *Seruatorem, etſi aperte docuerit, et ſancte adfirmauerit, εργα illa voluntati diuinae (cuius cognitio ipſi competat accuratiſſima) prorſus conuenire, atque Dei nutu fieri et auctoritate, noluiſſe tamen huius generis facta omnium exiſtimari grauiſſima, immo alia iudicaſſe illis maiora, quae olim valitura ſint ad auctoritatem factorum ſuorum diuinam contra eos quoque vindicandam atque defendendam, qui pertinacia quadam ſeducti temeraria negare audeant, ea, quae nunc faciat et fecerit, exemplo*

ipsius Dei operantis conuenire et auctoritate fieri diuina 40). Quaeritur iam, qualia sint ἐργα illa μειζονα? Audimus Seruatorem ipsum confestim v. 21. tale ἐργον commemorantem: ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἐγείρει τοὺς νεκροὺς καὶ ζωοποιεῖ· οὕτω καὶ ὁ υἱὸς, οὓς θέλει, ζωοποιεῖ: „quemadmodum enim pater mortuos resuscitat et vita donat; ita etiam filius vita donat, quoscunque voluerit." Constat, inter recentiores euangelii Ioannei interpretes haud paucos deprehendi, qui vulgarem totius ῥήσεως inde a v. 21. sequentis explicationem, olim vnanimi Theologorum consensu probatam, quae de resurrectione mortuorum, Messia auctore olim futura, de potestate iudicii extremi instituendi Iesu Christo demandata, de vita beata hominibus probis vita defunctis destinata atque per Christum tribuenda, his verbis adumbrata cogitet, inpugnent atque deserant, malintque phrases illas, in hac oratione Christi obuias, mortuorum resuscitationem, reditum in vitam, largitionem vitae innuentes, de resurrectione quadam sensu morali ita dicta intelligi, i. e. de ea rerum humanarum immutatione per Iesum efficienda, quae pertineret ad homines erroribus ac vitiis veluti mortuos (deprauatos et miseros) vera religionis doctrina inbuendos, emendandos, atque ita ad veram,

---

40) Similis est illius loci ratio, vbi Iesus coram hominibus σημειον εκ του ουρανου desiderantibus ad aliud σημειον olim edendum prouocat, Matth. 16, 1—4.

aeternamque animi felicitatem perducendos. Iam, etsi probe intelligam, copiosiorem huius quaestionis pertractationem minime ad primarium disputationis nostrae consilium proxime spectare; ipsa tamen sententiarum series, quae illa Iesu Christi effata v. 21 — 30. comprehensa partim antecedentibus iungit (supra iam perlustratis) partim iis, quae infra v. 36. sequuntur, profecto efflagitat, vt meam de vera huius ῥήσεως interpretatione sententiam paucis in medium proferam, rationibusque confirmem idoneis. Audiamus primum eos interpretes, qui Seruatorem de morali illa resurrectione cogitasse iudicant. Solent huius explicationis necessitatem inprimis e v. 21. et 25. demonstrare. Etenim, quum Iesus v. 21. aperte professus fuerit, se (filium Dei) *quoscunque voluerit* (οὓς θέλει) vitae restituere, illud οὓς θέλει praecipue vrgent, quippe quod ambitum resurrectionis (του εγειρειν και ζωοποιειν) limitibus quibusdam ac terminis ita coërceat, vt sponte pateat, Iesum non potuisse de physica corporum resurrectione cogitare, quum alia et ipsius Christi et Apostolorum effata doceant, eam, quae proprie ita dicatur, mortuorum resuscitationem ambitu suo vniuersam esse futuram, neque ad aliquam tantum hominum vita defunctorum partem spectaturam. Quam quidem argumentationem magis speciosam dixerim, quam certam atque veram. Ipsius quippe commatis 28. verba: ἔρχεται ὥρα, ἐν ᾗ πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις ἀκούσονται τῆς

φωνῆς αὐτοῦ, facile declarant, reſuſcitationi mortuorum, de qua Seruatorem in hoc ſermone audiamus disputantem, profecto eum tribui ambitum, qui *mortuos omnes* complectatur, ideoque verba v. 21. οὓς θέλει non potuiſſe a Ieſu Chriſto hoc ſenſu pronuntiari, vt aliquam mortuorum partem ab illa, quam nuntiaret, reſurrectionis ſorte excluderet. Immo perpendamus neceſſe eſt, non dici: οὓς θέλει, νεκροὺς ἐγείρει, ſed: οὓς θέλει, ζωοποιεῖ [41]). Quemadmodum infra v. 29. ipſa reſurrectio ad *mortuos omnes* ſpectatura (το εκπορευεσθαι ſcil. εκ των μνημειων, cfr. v. 28.) ab ea ſorte et conditione duplici ſeiungitur, quae reſurrectionem ipſam inſequutura ſit, altera της ζωης proborum, altera της κρισεως inproborum; ita v. 21. (ὥσπερ — ζωοποιει) duo diuerſa diſtinguuntur Dei patris opera, alterum ad mortuos ſpectans reſuſcitandos (εγειρει τους νεκρους), alterum ad homines reſuſcitatos vita (vera ac beata) donandos. Iam vero, dum Ieſus ſuam efficaciam diuinae, ſua opera di-

---

41) Liceat hoc argumentum iis quoque opponere, quae nuperrime Doctiſſ. *Kloker*, moralem huius ſermonis Chriſti interpretationem defenſurus monuit in diario Amiciſſimi *Koethii*: Zeitſchrift für Chriſtenthum und Gottesgelahrtheit, 1. Bd. 2. Heft, Stuttgart und Tübingen, 1816. 8. p. 192. ſeqq. Errauit idem, quum diceret, ſecundum doctrinam Chriſtianam negotium mortuos (ſenſu proprio) in vitam reuocandi nunquam Deo patri, ſed vbique Ieſu Chriſto tribui. Nam Deo patri profecto tribuitur 1 Corinthh. 6, 14. coll. Hebrr. 11, 19.

uinis comparat, verbis addendis οὕτω καὶ ὁ υἱος etc. ſermone vtitur breuiori, ita vt nonniſi poteſtatem ſibi traditam (cuius vſu Deum patrem imitetur) homines reſuſcitatos, quos voluerit (i. e. quos iudicauerit dignos) vita beata donandi diſerte commemoret, alteram vero ipſius prouinciam (cuius adminiſtratio illud ζωοποιειν tempore praecedat neceſſe eſt) mortuos in vitam reuocandi, quam v. 25. 26. 28. aperte ſibi vindicat, nunc quidem ſilentio praetereat. Quod Ieſus porro v. 24. dicit: ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων — μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν minime probat (vt auctor commentationis in nota 41. laudatae cenſuit) Ieſum h. l. (de re *praeſenti* loquentem) nonniſi de reſurrectione ſenſu morali dicta cogitare potuiſſe. Nolim quidem cum pluribus interpretibus enallagen admittere praeteriti pro futuro poſiti, quanquam ipſe in verſione mea latina hanc rationem probaueram. Praeſtat, opinor, vim propriam ſeruare praeteriti. Quicunque, ait Ieſus, fidem veram doctrinae meae habet, iam nunc ex morte transiit in vitam veriſſimam eamque perpetuam, neque habet, quod mortem metuat, ſiquidem ei ſpes certa adfulſit atque laetiſſima vitae aeternae eiusque feliciſſimae in regno diuino conſequendae. Für den, der an mich wahrhaft glaubt, *hat nun ſchon* ein höheres, unſterbliches, ſeliges Leben *begonnen;* ihm iſt der Tod keine Unterbrechung dieſes Lebens. Etſi concedam, Ieſum v. 24. non tam de reſurrectione corporum, quam de animi

immortalitate et vita beata dixisse; facile tamen oratio Seruatoris v. 25. ad resuscitationem quoque corporum ab illa cogitatione transire potuit. Neque verbis v. 25. ἔρχεται ὥρα καὶ νῦν ἐστιν etc. aliquid inesse dixerim, quod huius sermonis interpretem resurrectionis proprie ita dictae cogitationem remouere iubeat. Argumento enim, quo plures Theologi interpretationis moralis (cuius mentionem supra iniecimus) ad sermonem nostrum transferendae necessitatem defendere voluerunt, inde depromto, quod *iam nunc* tempus adesse dicatur, quo mortui vocem filii Dei audiant, eaque audita in vitam redeant, iure, opinor, meritoque opponimus, potuisse Seruatorem, dum verba: και νυν εστιν interponeret, ad eos respicere homines, qui per ipsum in hisce terris versantem vitae terrestri restituerentur (cfr. Matth. 9, 18. ff. Luc. 7, 11. ff. Io. c. 11.). Sententia v. 25. primaria verbis subest: ἔρχεται (i. q. ἐλεύσεται) ὥρα, ὅτε οἱ νεκροὶ etc. Illa: και νυν εστιν sunt interposita, adducta quippe per ipsam commemorationem vniuersae mortuorum omnium resurrectionis olim futurae, cuius initium ac veluti symbolum illa hominum, quos Iesus, dum in terra versabatur, vitae restituebat, resuscitatione continebatur[42]). Iam vero

---

42) Ceterum Ill. Paulus in comment. ad v. 25. argutius, opinor, quam verius haec disseruit: „dass *geistig Todte* hier „zu denken sind, ist klar, da hier und v. 24. ihr Belebt„werden vom ἀκούειν καὶ πιστεύειν und zwar vom Hören

alia quaedam perpendamus argumenta haud contemnenda, quae moralem illam totius loci interpretationem difficultatibus haud exiguis reddant

---

„einer φωνη, welche v. 24. ὁ λογος Ιησου iſt, abhängt. Die „körperlich von den Todten auferſtehenden *müſſen* hören.“ Iterum liceat eo prouocare, quod verba v. 25. ἐρχεται ὥρα, ὅτε οἱ νεκροὶ ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ infra v. 28. ita legantur repetita, vt ſponte pateat, praedicari haec *de omnibus omnino mortuis* (partim de iis, qui Ieſu Chriſti doctrinae fidem habuerint, et obſequuti fuerint, partim de iis, qui fidem et obſequium denegauerint) ideoque vocabulum φωνη non poſſe vtroque verſu pro λογος accipi, neque formulam: ακουεσθαι της φωνης illi ακουειν τῳ λογῳ, και πιστευειν eſſe ſynonymam. Immo v. 24 ab iis, quae v. 25. leguntur, argumento atque conſilio prorſus differt, quum Ieſum illo quidem vſ. de felicitate veriſſima atque aeterna (vita veriſſima et perfecta probis tantum ipſius cultoribus parata), verſu autem 25. de reſurrectione *omnibus* omnino exſpectanda loquentem audiamus. Aliud argumentum, quo explicatio totius loci moralis defendatur, Doctiſſ. *Kloker* ex eodem v. 25 et v. 28. petiit. Exiſtimat quippe, Seruatorem non potuiſſe de hominibus ſenſu phyſico mortuis ſic vniuerſe dicere, eos olim vocem Ieſu audituros eſſe, neque eos homines, qui ſenſu phyſico *audire* nequeant, aut omnino non fuerint in ſepulcris reconditi, ab illa communi reſurrectionis ſorte excludere. Quid vero eſt, quod nos cogat, illud φωνης αυτου ακουσονται ſubtilitate ſumma premere, neque in ſententia acquieſcere vniuerſa: in vitam redibunt, iubente filio Dei? Cfr. loquutio ſimilis Matth. 24, 31. μετα σαλπιγγος etc. Quod vero illud εν τοις μνημειοις (v. 28.) attinet, recte, opinor, Ieſus vocibus οι νεκροι phraſin ampliorem οι εν τοις μνημειοις ſubſtituere potuit, legem notiſſimam ſequutus, quam in loquendo ſaepiſſime obſeruamus, a potiori fieri denominationem.

obnoxiam. Ac primum quidem huius sententiae defensores quaestionem euitare nequeunt, qua de causa tandem Iesus (moralem illam, quam ita dicunt, resuscitationem intelligens) eandem v. 20. (μειζονα δειξει αυτῳ εργα) v. 25. (ὁτε οἱ νεκροι ακουσονται etc.) v. 28. 29. (εν ᾗ παντες etc.) tanquam *futuram* nuntiauerit atque inter εργα retulerit ab iis, quae hucusque ediderit edatque, operibus diuersa iisdemque grauiora (μειζονα)? Nonne enim homines, qui sensu morali recte dicebantur mortui, profecto iam resuscitabantur, nouamque inchoabant vitam, ex quo Iesus initium docendi fecerat? Respondebunt, opinor, illius generis interpretes, Seruatorem non tam de iis cogitasse, qui *viuam* eius vocem (homines e tristissimo animi sopore excitare solitam) sequuti nouam, emendatam, feliciorem inchoarent vitam, quam de successu illo felicissimo, atque ad mentes hominum cuiusque populi ac gentis saluberrime immutandas efficacissimo, quo diuina eius doctrina olim, per Apostolos strenue propaganda, esset gauisura. Desideramus tamen in iis, quae v. 25. sqq. continentur, satis perspicuam huius potissimum euenti adumbrationem. Immo v. 28. 29. audimus Iesum de illa resurrectione ea disputantem, quae profecto, nisi quis contortius interpretari voluerit, nequeant sensu illo tropico intelligi. Quanquam dubio caret, voce νεκροι in libris N. T. subinde eos notari, qui vel prorsus scelesti sint ac deprauati, vel religionem certe veramque virtutem minus curare

ſoleant quam huius vitae terreſtris ſtudia et bona (Epheſſ. 5, 14. Romm. 6, 13.); nunquam tamen eiusmodi phraſis, qualis illa eſt v. 28. obuia: οἱ ἐν τοις μνημειοις ad homines transfertur illo morali ſenſu mortuos. (Alia plane apparet indoles atque ratio loci, ad quem plures horum interpretum prouocare ſolent, Paulini Romm. 6, 4. Etenim, quum Chriſtiani *per lauacrum ſacrum* veluti ſepulcro dicantur reconditi, facile patet, vocabula *mortis* atque *moriendi* l. l. minime ita adhiberi, vt eos innuant, qui vitiis atque erroribus grauiſſimis ſint obnoxii, animi ſomno ſopiti, ſed ad homines transferri illis erroribus atque vitiis eo ipſo, quod lauacrum ſacrum ſubeant et religionem Chriſt. amplectantur, quaſi morientes, i. e. renuntiantes). V. autem 29. duplex dicitur reſurrectio eſſe futura, altera ἀναϛασις ζωης (eorum, qui felicitate ſunt ornandi), altera ἀναϛασις κρισεως (eorum, qui poenas ſubituri ſunt), quam facile patet ad homines pertinere *prorſus deprauatos*. (Qui quidem locus, vt hoc obiter addam, ſponte docet, auctorem commentationis nota 41. laudatae parum recte adfirmaſſe, omnino in hac oratione non ſermonem eſſe de iis, qui vel facta honeſta, vel inhoneſta ediderint.) Iam vero, quum tropica illa atque moralis vocabulorum: νεκροι, θανατος, ζωη, ἀναϛασις ſignificatio, de qua nonnullos recentiorum huius loci interpretum videmus cogitantes, in eo potiſſimum verſetur, quod homines nondum emendati appellentur mortui, eorumque emendatio

cum resurrectione et vita noua comparetur; profecto de hominibus deprauatis neque emendatis ne poterat quidem ἀναστασις quaedam recte praedicari[43]). Ceterum verbo tantum notasse sufficiat, non posse vllam huius interpretationis moralis defendendae necessitatem ex vsu temporis praesentis (ζωοποιεῖ et ἐγείρει v. 21. ἔχει ζωὴν αἰώνιον καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται v. 24.) repeti, quum neminem lateat loquendi vsus

---

43) Hanc difficultatem Ill. Paulus (in comment. ad h. l.) probe sensisse videtur, quum ipse, etsi verba v. 24. 25. de hominibus, qui sensu morali appellentur mortui, interpretatus fuisset, de iis tamen, quae v. 28. 29. sequuntur, aliter statueret, cum plerisque interpretibus futuram mortuorum resurrectionem proprie ita dictam intelligens. In eo tantum vulgarem loci interpretationem deserit, quod Genitiuum αὐτοῦ (τῆς φωνῆς αὐτου) ad Subiectum Dei patris (e v. 26. repetendum) neque, vt vulgo fieri solet, ad Subiectum Iesu Christi (τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ s. υἱοῦ ἀνθρώπου cfr. v. 27.) pertinere iudicat, ita vt futuram illam mortuorum resurrectionem h. l. Deo patri neque Iesu Messiae auctori vindicari existimet. Attamen, quum verba v. 28. ὅτι ἔρχεται — τῆς φωνῆς αὐτοῦ superioribus illis v. 25. obuiis: ὅτε ἔρχεται — τοῦ θεοῦ simillima appareant (hoc vno discrimine excepto, quod, qui supra appellati fuerint οἱ νεκροί, v. 28. dicantur παντες οἱ εν τοις μνημειοις) atque haec ipsa verborum similitudo doceat, sententiam v. 25. propositam iis repeti, quae v. 28. contineantur; diffiteri nequeo, mihi quidem durius videri et audacius, neque iustae interpretis constantiae accommodatum, ea tantum, quae v. 28. leguntur, de hominibus sensu proprio mortuis interpretari, neque vero ad eosdem verba v. 25. referre, atque insuper negare, verba (v. 28.) τῆς φωνῆς αὐτοῦ superioribus illis (v. 25.) τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ prorsus respondere, ideoque Genitiuum αὐτου non posse nisi ad Iesum pertinere Messiam.

apud Ioannem potiſſimum obuius, quo Praeſens Futuri gerat vices (quem loquendi vſum vt ad noſtrum quoque locum transferamus, verba ſuadent v. 25. 28. 29.) [44]) Neque facilius mihi perſuadere poſſum, verum vidiſſe interpretes, qui negarent, Seruatorem h. l. iudicii ſollennis mentionem iniecciſſe, olim de hominibus reſuſcitatis exercendi, immo, quaecunque Ieſum in hoc ſermone de ſua iudicandi prouincia et poteſtate dicentem audiamus, eo referenda exiſtimarent, quod poteſtatem ſibi vindicauerit, hoc ipſo tempore, quo in terra (inter homines) verſaretur, de eo iudicandi, vtrum quis regni diuini, eiusque bonorum conſortio dignus eſſet, an prohibendus aditu? Solent Theologi hanc viam ineuntes inprimis eo prouocare, quod Ieſus v. 22. adfirmans, Deum patrem ipſum de nemine iudicare, immo totam iudicandi prouinciam filio demandaſſe, eo ipſo ſatis aperte declarauerit, non poſſe verba ſua de iudicio olim futuro, ſub

44) Eximie laetor, quod viderim, *Kuinoelium* quoque, interpretem eruditione multiplici inſtructum, et ſine partium ſtudio iudicantem argumentis, quibus maxime excitatus fuerim, vt Ieſum in ſermone Io. c. 5. obuio de reſurrectione proprie ſic dicta cogitaſſe adfirmarem, calculum addidiſſe. Cfr. eius comment. in Io. p. 294. ſeqq. vbi aliorum quoque interpretum commentationes, quae eundem ſermonem tractauerunt, diligenter notatae ſunt. Ex antiquioribus ad eandem quaeſtionem pertinet: diſſertatio, qua Herm. Deuſingii reſurrectio myſtica ab oraculo diuino Io. 5, 28. depellitur, quam praeſide *H. C. Engelbrecht* Theol. Prof. examini publico ſubmittit *I. C. Burgmann*, Roſtochii, 1726. 4.

finem huius saeculi instante, recte intelligi. (cfr. V. Ekermanni theologische Beyträge 5ten B. 2tes Stück p. 68.) Cuius argumenti vis quam parum valeat, facile potest ex iis N. T. effatis demonstrari, vbi Iesu Messiae, tanquam vicario Dei (iudicis summi) negotium iudicii sollennis olim sub finem huius saeculi de hominibus exercendi tanta perspicuitate tribuitur, vt nemini hac de re dubitare liceat (cfr. Actt. 17, 31. 2 Corinthh. 5, 10.) Contortior autem videtur eorum interpretum ratio, qui post vs. 21. verba: ὁ υἱος κρινει ουδενα subintelligentes, atque τῳ κρινειν eam potestatem subiicientes, vt significet: hominem quendam omnis emendationis expertem pronuntiare, atque iudicare, sententiam eorum, quae vs. 22. ineunte leguntur, ita constituunt: „neminem filius emen„dationis expertem pronuntiat. Ipse enim pater „talem agendi modum minime sequitur, sed om„nes tractat tanquam homines, qui etiamnum pos„sint emendari, atque ad veram et beatam animi „vitam perduci.“ Facile enim patet, neque illius ellipseos: ὁ υἱος κρινει ουδενα vllam proferri posse defensionem probabilem, neque sententiam ipsam, ex illa interpretatione prodeuntem, satis aptam atque iunctam apparere verbis seqq. ἀλλὰ τὴν κρίσιν πᾶσαν etc. Quodsi quis hanc posteriorem difficultatem, e nexu parum apto oriundam, ita tollere voluerit, vt Subst. κρισις ad iudicium, quod Iesus olim exerciturus sit, referendum existimet: (pater neminem emendationis omnino expertem pronun-

tiat, immo potestatem talis iudicii olim de hominibus habendi filio commisit); tamen partim in eo ipso aliquam sentio duritiem, quod in vno eodemque commate alio sensu verbum κρινειν, alio Substant. κρισις accipiatur, partim verba: αλλα την κρισιν πασαν etc. hoc sensu intellecta consilio huius effati primario parum apparerent accommodata. Quodsi enim Iesus verba illa: ουδε γαρ ὁ πατηρ κρινει ουδενα eo consilio pronuntiauerat, vt similitudinem declararet, quae suam inter ac diuinam agendi rationem intercederet; minime debebat verbis seqq. ad potestatem ipsi traditam iudicii de hominibus olim exercendi prouocare, immo hoc potissimum vrgendum fuerat, se, tanquam filium, patrem imitandi studiosissimum, *hoc tempore* ουδενα κρινειν. — Neque verba v. 24. ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων — εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται iis obstant interpretibus, qui Iesum de iudicio futuro cogitasse existimant. Quod contra eos moneo, qui forte cum V. Paulo, Ekermanno, aliisque sententiam v. 24. hac ratione explicandam censeant: „credite mihi, qui doctrinam „meam admittit, fidemque habet ei, qui me legauit (Deo patri), salutem aeternam eo ipso iam „consequitur; neque ipsi iudicium instat subeundum, tanquam si dubium possit videri, num salute „futura dignus sit; immo iam transiit e statu mortis in aliam eamque laetiorem vitae conditionem, „i. e. iam possidere coepit veram animi felicitatem, „in perpetuum perduraturam.“ Cuius interpretationis defensores hoc certe largiantur necesse est,

aliam *admitti posse*, quum partim (quod iam supra vidimus) vsus temporis praesentis (ερχεται) pro futuro (ελευσεται) positi permultis possit exemplis illustrari atque comprobari, apud Ioannem potissimum obuiis, partim Substantiuum κρισις non vbique latiori tantum sensu de *iudicio*, sed etiam sensu angustiori de *condemnatione* adhibeatur [45]) (quam quidem alteram vocab. significationem nostro l. voci κρισις vindicari iubet oppos. ζωη αιωνιος). Nihil igitur prohibet, quo minus commati 24. hanc sententiam subiiciamus: „credite „mihi, qui doctrinam meam admittit, fidemque „habet ei, qui me legauit (Deo patri), salutem „futuram (eamque aeternam) consequetur, neque „damnationem experietur (inprobis et immori„geris olim instantem), immo iam nunc e morte „transiit in vitam verissimam, morte corporis non „interrumpendam [46]).“ Sed, quemadmodum verba ipsa *permittunt*, vt Seruatorem de iudicio illo olim futuro, alios felicitatis aeternae participes,

45) Cfr. infra v. 29. vbi ipsa oppositio membrorum: εις αναστασιν ζωης, et: εις αναστ. κρισεως sponte docet, κρισις h. l. de condemnatione dici atque poena diuina.

46) Sententiam meam de verbis postremis v. 24. iam supra professus sum. Simili fere modo haec verba V. *Weber* in comment. de consilio, quod Iesus se in miraculis suis spectasse ipse professus est, Viteb. 1802. p. 10. interpretatus est: eiusmodi homo tam certus esse potest de felicitate sua futura, atque aeterna, ac si iam e mortuis in vitam beatam rediisset.

alios poenae aeternae obnoxios reddituro cogitasse largiamur; ita eiusdem interpretationis *necessitatem* reliqua comprobat totius orationis indoles. Quodsi enim concessum fuerit, formulas illas h. l. obuias, quae aliquam mortuorum resuscitationem innuant, intelligendas esse de resurrectione proprie ita dicta, olim futura (cuius persuasionis argumenta idonea supra iam protulimus); sponte sequitur, ea, quae Iesus in eodem sermone de sua iudicandi prouincia et potestate dixerit, de κρισει illa magna atque sollenni, olim exspectanda, resurrectionem mortuorum insequutura recte intelligi, neque de ea, quam Iesus in vita terrestri exerceret. Liceat inprimis ad vs. 19. prouocare, vbi Seruatorem verbis paucis quidem, attamen satis perspicuis vim atque efficaciam iudicii post resurrectionem mortuorum futuri, eos, qui recte fecerint, felicitate ornaturi, qui male fecerint, condemnaturi, audimus describentem. His de causis equidem mihi persuasissimum habeo, sub illis εργοις maioribus v. 20. commemoratis intelligendam esse futuram mortuorum omnium resuscitationem, et, quae eandem confestim insequutura sit, iudicii sollennis, probos remuneraturi, improbos punituri, administrationem. Quo facilius autem integra orationis series pateat, liceat totius ῥησεως, quae inde a versu 21—30. legitur περιφρασιν subiicere. Postquam Iesus sub finem v. 20. monuerat, iis operibus, quae ipse tempore suae in hisce terris commorationis edere soleret, alia

esse maiora, olim edenda (quae olim valitura sint ad auctoritatem factorum suorum diuinam contra eos quoque vindicandam, qui hucusque eius aduersarii fuerint pertinacissimi), ita pergit: „quemad„modum enim pater mortuos potest resuscitare et „vita donare beata; ita etiam filius (homines in „vitam reuocare et) quoscunque voluerit (dignos „iudicauerit) vita beata donare poterit (s. mortuos „in vitam reuocabit, et, qui vita beata digni fue„rint, eadem ornabit, exemplum patris imitatu„rus). Neque pater ipse (immediate) de vllo ho„mine (resuscitato) iudicium pronuntiabit, sed to„tam hancce iudicii olim exercendi prouinciam „filio tradidit, ita vt omnes filium (legatum Dei „patris atque interpretem) pariter atque patrem „ipsum venerari oporteat; (qui filium non colit, „nec patrem colit, qui illum legauit.) Credite „mihi, qui doctrinam meam admittit, fidemque „habet illi, qui me legauit, felicitatem futuram „consequetur, neque damnationem experietur, „immo iam nunc ex morte (metu mortis poena„rumque diuinarum) in vitam animi verissimam „eamque immortalem transiit. Credite mihi, tem„pus esse futurum, immo iam adesse, quo mortui „vocem filii Dei audiant, eademque audita in vi„tam redeant. Quemadmodum enim pater in se„met ipso vitae habet fontem, ita etiam filium vo„luit in semet ipso vitae habere fontem. Eidem„que potestatem tribuit iudicii habendi, siquidem „hominis est filius (Messias). Nolite mirari, quod

„dixerim, tempus fore, quo omnes in sepul„cris versantes, eius voce audita, e sepulcris „prodeant, ii quidem, qui recte fecerint, felici„tate gauisuri, ii autem, qui male fecerint, dam„nationem subituri.“ Redit iam ad sententiam vniuersam, quam supra v. 19. enuntiauerat: „ne„queo aliquid facere meo arbitrio (meum est, non„nisi ea facere, quae Dei patris voluntati atque „mandatis conuenire accuratissime sciam).“ Quemadmodum supra (v. 19.) *facta* sua commemorauerat, iis accommodata, quae Deum patrem facientem *videat;* ita h. l. sua commemorat *iudicia* atque *decreta*, iis congrua, quae Deum veluti loquentem, iudicantem, praecipientem *audiat*, ita pergens: „secundum ea, quae audio (secundum „Dei decreta et mandata, quae mihi innotuerunt), „ipse iudico ac decerno; quare iudicium meum est „iustum (verum); siquidem non meae, sed eius, „qui me legauit, voluntati satisfacere studeo.“ Quanquam Seruatorem vocibus: κρινειν atque κρισις in antecedentibus ita vsum esse vidimus, vt de iudicio cogitaret sollemni, per ipsum, Deo volente, olim exercendo (alios remuneraturo, alios condemnaturo); nostro tamen loco (vbi non amplius de illis tantum ἐργοις olim edendis v. 20. ex. annuntiatis disputat, immo ad sententiam redit supra v. 19. iam propositam), *quaecunque iudicat, statuit, docet*, complectitur, sancte adfirmans, se nihil decernere atque praecipere, nihil docere alios, nisi quod Dei voluntati atque consiliis pror-

ſus accommodatum, verum, iuſtumque eſſe noue-
rit. Quod quidem dum adfirmat, absque dubio
ad illud potiſſimum reſpicit iudicium, quod ſupra
tulerat, ſuoque facto declarauerat, Iudaeorum
multis coeca ſuperſtitione ductis inprobatum, de
licentia hominem aegrotum Sabbato ſanandi. (Ne-
que exempla huius vocabulorum κρινειν atque κρισις
vſus latius patentis in ipſo Ioannis euangelio deſide-
rari, facile docent loca Io. 7, 24. 8, 15. 16.)[47])
Iam vero, quum plerique eorum, qui adſtarent, Iu-
daeorum iis, quae Ieſus hucusque de factis ſuis,
ſermonibus, atque iudiciis, diuinae voluntati ac-
commodatiſſimis, ad exemplum Dei compoſitis,
auctoritate diuina gaudentibus monuerat, perpe-
ram offenderentur (quippe quae arrogantius dicta
iudicarent); facile poterat debebatque Ieſus exſpe-
ctare, aduerſarios hoc potiſſimum contra ipſum
eſſe monituros, ea, quae modo de auctoritate ſua
et legatione diuina dixerit, ideo eſſe ſuſpecta, quod
ipſe in ſua cauſa prodierit teſtis. Concedendum

47) Loco enim laudato verba v. 16. καὶ ἐὰν κρίνω δὲ ἐγὼ, ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ ἀληθής ἐστιν propter totam orationis ſeriem atque paralleliſmum v. 14. et 16. ita intelligenda cenſeo, vt de eo agatur iudicio, quod Ieſus v. 12. (vbi το φως του κοσμου ſeſe appellauerat) de ſemet ipſo tulerit, ideoque verbum κρινειν verbo μαρτυρειν περι ἑαυτου (v. 13. 14.) et Subſtantiuum κρισις τῃ μαρτυρια reſpondeat, hoc ſenſu prodeunte: „quodſi equidem (de me) iudicium (teſtimonium) profero, „verum eſt iudicium (teſtimonium) meum, quum non ego „ſolus ſim (iudicans, ſ. teſtis), ſed etiam pater, qui me „legauit.“

aliquid putat Iudaeis ardore incenſis[48]) (v. 31.), ita tamen, vt confeſtim (inde a v. 32.) doceat, ſibi profecto non deeſſe teſtes alios atque externa veritatis eorum, quae dixerit, documenta luculentiſſima. Et primum quidem vniuerſe adfirmat (v. 32.) alium eſſe, qui de ipſo teſtimonium exhibeat, fide digniſſimum. Qualemne teſtem intelligat? minime confeſtim accuratius declarat; concedens aduerſariis iratis, vt ipſi paullulum meditando coniecturis indulgeant, atque ita fiant animo tranquilliores. Dubium poſſit videri atque ambiguum, vtrum Ieſus verbis v. 32. ἀλλος ἐστιν ὁ μαρτυρων etc. *Ioannem baptiſtam*, cuius teſtimonium v. 33. 34. 35. commemorat, an *Deum patrem*, cuius teſtimonium Ioanneo grauius eſſe ac praeſtantius v. 36. profitetur, ſignificauerit? Attamen, quum Seruatorem ſatis aperte audiamus declarantem (v. 34. 35. 36.) ſe profecto non ſui ipſius, ſed Iudaeorum cauſa illius teſtimonii Ioannei mentionem iniecisse, neque omnino hoc agere, vt hominis cuiusdam laudationem captet atque teſtimonium, ſed alium habere teſtem, cui ipſe iure meritoque ſummam tribuat auctoritatem, omni humana maiorem, Deum patrem; praeſtat, ea ipſa de cauſa verbis v. 32.

48) Sententia v. 31. parum mutatur, ſiue Ieſum haec e mente aduerſariorum ſuorum protuliſſe iudicemus: „ſi ipſe (ſolus) „de me teſtimonium exhibeo, hoc teſtimonium vanum eſt „(concedo vobis)“ ſiue tempori praeſenti vim imperfecti coniunctiui tribuamus: „ſi ipſe (ſolus) de me teſtimonium pro„ferrem, vanum eſſet.“

eam ſubiicere ſententiam, vt Seruatorem ſub illo ἄλλῳ μαρτυροῦντι huncce teſtem grauiſſimum, Deum patrem, intellexiſſe, eiusque veracitatem a nemine in dubium vocandam adfirmaſſe iudicemus. Quae ſequuntur v. 33. 34. 35. duplici de cauſa addidit, partim, ne quis ex iis, quae v. 32. monuiſſet, perperam de Ioannis baptiſtae teſtimonio intellectis, colligeret, ipſum eiusmodi honoris eſſe cupidiſſimum, quem humana conciliet laudatio, partim, vt inconſtantiam notaret Iudaeorum, quippe qui, quum olim Ioannis baptiſtae auctoritatem recte agnouerint, atque coluerint, nunc tamen auctoritatem Chriſti, cuius teſtimonium publicum Ioannes ille iterata vice exhibuerat, agnoſcere nolint. Integra ſententiarum ſeries (v. 32—36.) ita ſe habet: „non ego ſolus de mea dignitate teſti„monium exhibeo; alius eſt, qui de me teſtetur, „qui meum teſtimonium ſuo, quod fide digniſſi„mum eſſe certo noui, adiuuet atque confirmet. „Vos quoque aliquem audiiſtis teſtem, auctorita„tem meam confirmantem, qui, quum nuntios ad „eum ablegaſſetis, profecto vera teſtatus eſt. Sed „nolo equidem, tanquam ſi honoris externi ſim cu„pidus, hominis captare teſtimonium et lauda„tionem; ſed propterea haec dico (propterea eo„rum, quae Ioannes de me nuntiauerat, mentio„nem iniicio), vt vos ſeruemini, vt vos, qui olim „Ioannis auctoritatem agnoueritis, eo magis promti „paratique reddamini ad meam dignitatem agno„ſcendam, fidemque doctrinae meae habendam, qua

„ſalutem veram conſequamini. Erat quippe Ioan„nes veluti lucerna ardens atque lucens (doctor „atque praeco me auctorem lucis pleniſſimae futu„rum nuntians, meamque doctrinam praeparans), „cuius lumine vos ad breue tempus delectari volui„ſtis (cuius ſermones vos per exiguum quidem tem„poris ſpatium laude veſtra et admiratione ſumma „dignos iudicaſtis).“ His de Ioanne interpoſitis transit ad illud teſtimonium longe grauius, quod ſupra v. 32. intellexerat, ab ipſo Deo patre exhibitum v. 36.: ἐγὼ δὲ ἔχω τὴν μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ἰωάννου· τὰ γὰρ ἔργα ἃ ἔδωκέ μοι πατὴρ, ἵνα τελειώσω αὐτὰ, αὐτὰ τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ, μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ, ὅτι ὁ πατὴρ με ἀπέσταλκε. „Sed mihi teſtimonium eſt Ioan„neo grauius; ipſa quippe opera, quae pater mihi „peragenda demandauit, ipſa, quibus fungor, „opera de me a patre legato teſtimonium exhi„bent“. Qualia ſunt εργα illa, quibus Seruator h. l. vim tribuit, ea confirmandi, quae ipſe de auctoritate ſua et legatione diuina profeſſus fuerat? Intelligitne quaeuis facta ſua, tanquam bona, honeſta, eumque animi ſenſum declarantia, qualis ineſſe debeat vero Dei legato, auctoritate diuina homines adeunti, edocenti, veramque hominum ſalutem adiuuanti? Quo minus vocem εργα tam late patere exiſtimem, verba impediunt: τὰ ἔργα, ἃ ἔδωκέ μοι πατὴρ, ἵνα τελειώσω αὐτὰ, quippe quae (pro vſu loquendi vulgari ac ſollenni) ad *certa quaedam* referuntur *negotia* et *opera*, cuidam demandata. Io. 4, 34. 17, 4. Praeſtatne igitur,

vocab. ἔργα de *prouincia docendi*, an de *negotiis Iesu Messianis omnibus* (quibus facta quoque comprehendantur insignia) an de *solis miraculis* interpretari? De rationibus, quae me impediant, quo minus Substantiuo ἔργα per se spectato notionem doctrinae et institutionis, atque formulae ποιειν τα ἔργα notionem του διδασκειν tribuam, iam supra (ad Io. 14, 10. 11.) ea disputauimus, quae nunc repetere nolumus. Immo verba ipsa declarant, cogitasse Iesum ea dicentem, quae v. 36. legimus, *de operibus ipsi*, *tanquam legato diuino*, *atque Messiae*, *a Deo demandatis*. Haec opera sibi demandata dum perficiebat, *Deus ipse* per illa ἔργα legationem eius diuinam et auctoritatem testabatur; quum partim *consilium*, partim *auxilium diuinum* inde eluceseeret [49]). Iam, etsi non ausim cum nonnullis adfirmare, Seruatorem h. l. ad *sola* prouocasse facta *insignia*, neque de ceteris negotiis suis operibusque Messianis cogitari omnino voluisse; hoc tamen nemo negaturus est, non posse non *facta quoque insignia* illo ipso genere των ἔργων, ad quod Seruatorem h. l. videmus prouocantem, comprehendi. Immo, si quis versum 36. iis, quae Iesus supra v. 17. dixerat: ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι, atque commatibus praecedentibus (inde a v. 1. c. 5. usque ad v.

49) Ab illo testimonio, quod Deus per ἔργα Iesu Christi edebat, distinguitur v. 37. aliud, quod Deus per oracula V. T. ediderat, eiusdem rei testimonium.

16.) miraculi a Iesu Christo editi narrationem (cui verba Christi v. 17. obuia proxime cohaerent) complectentibus attente comparauerit; facile, opinor, largietur, etiam v. 36. de miraculis praecipue esse cogitandum. Cfr. quae de hoc loco egregie disputata sunt a V. *Tittmanno:* meletemata sacra in ev. Io. Lips. 1816. p. 231. seqq.

§. 10.

Restant e locis Ioanneis, vbi Iesus vniuerse ad ἔργα sua prouocat, effata Io. 10, 25. 37. 38.

Quum Iudaei Iesum in porticu templi Salomonea ambulantem, ita fuissent alloquuti: quamdiu tandem animos nostros suspensos (de persona tua et auctoritate vera dubitantes) tenebis? Si Messias es, aperte nobis profitere; Iesus haec respondisse dicitur (v. 25.): εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε· τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου ταῦτα μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ: „iam vobis professus „sum (dignitatem meam Messianam) neque vero „fidem habuistis. Ipsa facta, quae patris mei „auctoritate edo, de me (de dignitate mea Messia„na) testimonium exhibent.“ Eodem testimonio ab ἔργοις per ipsum editis depromto Seruatorem iterum videmus v. 37. 38. vtentem. Postquam enim Iudaei, odio ducti et malignitate, eo nomine Iesum taxauerant, quod inpie loquutus fuisset, atque Deum ipsum sese venditasset (quum v. 30. dixisset: ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν), ad locum V. T. (Ps. 82, 6.), vbi Deus ipse magistratus iudicesque

appellat Deos, aduersarios suos ablegat, iubetque eos hinc colligere, quam inepte et iniuste ipsum (a Deo patre prouinciae Messianae consecratum, et ad homines legatum) propterea inpietatis accusauerint, quod Dei filium sese appellauerit. Quonam iure autem hoc adfirmet, se Dei esse legatum, hominesque auctoritate adiisse diuina, v. 37. 38. his verbis docet: εἰ οὐ ποιῶ τὰ ἔργα τοῦ πατρός μου, μὴ πιστεύετέ μοι· εἰ δὲ ποιῶ, κἂν ἐμοὶ μὴ πιστεύητε, τοῖς ἔργοις πιστεύσατε· ἵνα γνῶτε καὶ πιστεύσητε, ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν αὐτῷ. „Quod„si patris mei opera non perago, fidem mihi de„negate (recte fidem mihi denegaretis, si Dei „patris opera non peragerem). Sin perago, nisi „mihi (i. e. adfirmationi meae, sermonibus meis, „τοις εμοις ῥημασιν, cfr. Io. 14, 10. 11. 15, 22. „25), operibus tamen meis fidem habete, vt in„telligatis, vobisque persuadeatis, mihi patrem, „me patri esse coniunctissimum.“ Quaeritur iam, quaenam sint εργα illa του πατρος, quae Iesus h. l. sibi vindicat? Quodsi phrases consulimus simillimas (εργα του Αβρααμ Io. 8, 39. εργα του πατρος ὑμων scil. του διαβολου ib. v. 41. εργα του θεου Io. 6, 28.), in promtu est, Iesum sub illis εργοις του πατρος ἐαυτου *eiusmodi facta* (opera) intelligere, *qualia Deus efficiat* (Thaten, Werke, wie sie Gott würkt und vollbringt). Iam negarunt quidem nonnulli recentiorum huius loci interpretum (cfrr. inprimis Paulus ad h. l. atque Ekermannus in symbolis theologicis Volum. 5. Fascic.

2. p. 78.) verbis Christi hoc sensu intellectis notionem inesse miraculorum, eo prouocantes, quod partim phrasin ipsam: *facta*, *qualia Deus perficit*, satis commode omnino de factis probis, honestis, beneficis (ad exemplum Dei compositis) interpretari liceat, partim verba v. 38. ὁτι εν εμοι etc. satis aperte monstrent, Seruatorem vniuerse de eiusmodi factis cogitasse, e quibus animi sui indoles proba, honesta, diuina (consensus perfectissimus, qui ipsius studia et facta inter atque Dei consilia et voluntatem intercedat) luculentissime appareret. Quod prius argumentum attinet, etsi lubenter largiar, sub *factis*, *qualia Deus edat*, quaeuis honesta, proba, benefica facta intelligi *posse*, siquidem numen sanctissimum nihil, nisi quod sanctum sit, perficiat (quemadmodum Io. 8, 39. εργα του Αβρααμ facta dicuntur proba, qualia Abraamus, pius Iehouae cultor, edere solebat); aeque tamen illi interpretes confiteantur necesse est, eundem loquendi vsum permittere, vt phrasin illam terminis paulo angustioribus circumscribamus, eamque ad eiusmodi *facta* referamus, *qualia Deus solus perficiat* (cfr. Io. 6, 28.) i. e. opera plane insignia, et extraordinaria, quae homo nequeat, sibi soli relictus, suis viribus perficere, nisi Deus ipse auxilio plane singulari eum adiuuet, atque per eum talia edat facta. Cfr. quae supra de Io. 5, 19. 20. disputata sunt. Neque huic interpretationi alterum obstat argumen-

tum a verbis v. 38. ὅτι ἐν ἐμοὶ etc. depromtum. Quonam ſenſu Ieſus h. l. adfirmauerit: ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ [50]), κἀγὼ ἐν αὐτῷ; fatis tuto licet ex ea orationis ſerie colligere atque cognoſcere, quae effatum Chriſti ſuperius (v. 30.) noſtro parallelum: ἐγω και ὁ πατηρ ἓν ἐσμεν, commatibus iungit praecedentibus. Videmus quippe Ieſum verbis v. 30. cauſam proferentem atque rationem, vnde pateret, quo iure antea adfirmauerit, nullam humanam vim ac poteſtatem ipſi valere ſuos eripere ſectatores. Integra ſententiarum v. 28. 29. ſeries haec eſt: „ſectatoribus „meis ſalutem futuram largiar, ita vt nunquam „perituri ſint, neque quisquam mihi eosdem „erepturus ſit. Etenim, quum pater meus, „qui mihi illos tradidit, omnibus ſit ſuperior, „nemo eos patri eripere poterit.“ His quum confeſtim ea addantur, quae v. 30. legimus: ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν; quo tandem alio ſenſu haec intelligi poſſunt, verbisque necti ſuperioribus, niſi ita, vt Seruatorem eo prouocaſſe

50) Phraſes illas in ſermonibus Ieſu Chriſti, quos Ioannes ſeruauit, ſaepenumero obuias: ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν, ἐγὼ ἐν πατρὶ καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοὶ, (cfr. Io. 14, 10. 11. 20. 17, 11. 21. 22.) vbique ex orationis ſerie eſſe accuratius definiendas, aliis quidem locis de coniunctione voluntatis et ſtudii, aliis vero de coniunctione poteſtatis et efficaciae, Ieſum inter Deumque intercedente intelligendas, plures interpretes ſcite monuerunt. Cfr. inprimis V. *Tittmanni* meletemata ſacra in ev. Io. p. 396. ſqq.

censeamus, quod ipso operum consortio atque consiliorum consensu Deo patri sit coniunctissimus? „Mea, inquit, causa, eadem est causa „Dei patris; mei sectatores iidem sunt Dei pa„tris sectatores; nos, ego atque Deus, in vno „eodemque opere elaboramus; quemadmodum „Dei causam nulla vis humana valet euertere, „ita mea inter omnes hominum turbas atque „vexationes salua manebit et incolumis.“ Qui causam Dei agit (sensu tam praecipuo, qualem verba Christi laudata exprimunt) atque in opere diuino elaborat, Dei est socius atque minister, neque potest singulari Dei *auxilio* destitui. Docet igitur ipsa rei natura, ab illo operum consortio atque consiliorum consensu, cuius ratione habita Iesus Deo patri se coniunctissimum appellauerit, separari non posse *auxilii plane singularis*, quo Deus Iesum adiuuaret, cogitationem. Quodsi, hanc integram orationis seriem probe tenentes, ad verba v. 38. ὁτι εν εμοι ὁ πατηρ, κἀγω εν αυτῳ ea transtulerimus, quae modo de formula huic parallela v. 30. obuia: εγω και ὁ πατηρ ἑν εσμεν disputata sunt; facile apparebit, verum vidisse interpretes, qui vocem εργα non de quibusuis Iesu Christi factis (quatenus proba essent, sancta, diuinae voluntati accommodatissima), sed de iis potissimum interpretarentur, ex quibus praecipua perspicuitate eluceſcebat, Iesum sensu eximio causam Dei agere, atque Dei esse socium, singulari eiusdem auxilio gau-

gaudentem, i. e. de miraculis. Neque video, qua de cauſa, hac ratione admiſſa, additamentum v. 26. οὐ γάρ ἔστε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν (quod Doctiſſ. *Starckius* in comment. ſaepius iam laudato excurſu I. p. 26. ſp. noſtrae phraſeos τα ἐργα interpretationi h. l. oppoſuit) inane et languidum apparere exiſtimemus. Tenemus modo, Ieſum coram Iudaeis, fidem ei denegantibus, cauſam et rationem, quare fidem denegent, his verbis proferentem: οὐ γάρ ἐστε etc. eo reſpexiſſe, quod homines illi, opinionibus praeconceptis obnoxii, eiusmodi animi ſenſu deſtituerentur, qualem vera dignitatis Ieſu Meſſianae cognitio poneret, ex dictis eius factisque inſignibus oritura. Ceterum de loco explicato cfr. V. *Tittmanni* meletemata laudata p. 394.

Priori capite abſoluto, quo effata Ieſu Chriſti claſſica perſequuti ſumus, quibus vniuerſe ad ἐργα ſua prouocat, et, quaenam inde cognoſci debeant, aperte declarat; neceſſe eſt, ordinem disputationis noſtrae conſtitutum ſequuturi, ad ea Seruatoris effata animum porro conuertamus, quibus de ſingulis, quae edidit, factis inſignibus alios edoceat, quidnam eiusmodi facta ſignificare, nuntiare, comprobare debeant. Attamen, ne iuſtos libelli academici fines transgrediamur, ſubſiſtamus iam in iis, quae hucusque disputata ſunt, argumentum tractari coeptum proxime continuaturi.

Commentatio Quarta *).

Eiusdem argumenti continuatio.

*) Edidi hanc commentationem Vitebergae, munus Professoris Theologiae ordinarii oratione sollemni d. XIII. Ianuarii MDCCCX. aditurus.

Quod nuperrime tentauimus, idem vt ſtrenue perſequamur, noua nos inpellit ſcribendi opportunitas, cum laetiſſima tum honorifica. Coepimus quippe de conſilio, quo Ieſus miracula edidit ex ipſius ſermonibus recte cognoſcendo, ita differere, vt propter ipſam totius argumenti grauitatem atque vbertatem (quae quanta ſit, ex ipſa huius quaeſtionis tractatione magis magisque cognouimus) nonniſi priorem disputationis partem abſolueremus. Liceat igitur, partim ſancto muneris academici officio, partim interno promiſſi pro viribus ſoluendi ſtudio admonente et efflagitante, quam ſemel ingreſſi ſumus viam, eadem pergere. Perluſtratis enim iis Ieſu Chriſti effatis, vbi Seruatorem vniuerſe ad σημεια ſ. εργα ſua vidimus prouocantem, ſequitur, vt animum ad ea conuertamus, quibus de ſingulis, quae edidit, factis inſignibus alios edocet, quidnam eiusmodi facta ſignificare, nuntiare, comprobare deberent.

CAPUT POSTERIUS

de iis exponens Iesu Christi effatis, vbi de singulis, quae edidit, factis insignibus ostendit, quidnam eiusmodi facta significare, nuntiare, comprobare, quonam animum conuertere, qualem sensum et adfectum excitare deberent.

Constituimus iterum eandem viam ingredi, quam nuper tenuimus, vt singula, quae ad rem nostram pertineant, effata, interpretationis iustae leges et principia sequuti, absque omni partium studio perlustremus, et, quaenam e singulis aperte eluceſcant, eruamus atque definiamus. Deprehendimus haec potissimum effata, accuratius iam spectanda: Matth. 9, 6 sqq. Matth. 16, 8 — 11. Io. 9, 35 sqq. Io. 11, 4. 40 — 42. Lucae 17, 18 sqq. De singulis deinceps videamus.

§. 11.

Ad eas morborum sanationes beneficas a Iesu Christo perfectas, quas euangeliorum scriptores praecipua enarrarunt copia et diligentia, ea potissimum pertinet, cuius historiam apud Matth. legimus 9, 1 — 8. (cfrr. Marcus 2, 1 — 12. Lucas 5, 17 — 26.) Adierant Iesum Capernaumi versantem homines, qui aegrotum quendam adferrent neruorum resolutione laborantem, in lecto decumbentem, beneficum

Ieſu Chriſti auxilium deſiderantem. Quem cum propter magnam populi frequentiam non potuiſſent via recta per ianuam inferre domui, in qua Seruator eo tempore commoraretur, conſcenſo aedificii tecto, aegrotum funium ope per tegulas demiſſum coram Ieſu depoſuerunt. Cognoſcit Ieſus ex illo indefeſſo hominem aegrotantem quouis pacto ad eum propius adducendi ſtudio, quantam in ſua et voluntate, et poteſtate hominibus adflictis auxilio ſuccurrendi benefico fiduciam collocauerint, ideoque aegrotum (Matth. 9, 2.) verbis alloquitur, laetiſſima eum ſperare iubentibus: *bono eſto animo, fili; remiſſa tibi ſunt peccata tua.* (Iam alii interpretes probe docuerunt, ἀφεωνται h. l. pro ἀφεινται eſſe poſitum. cfr. Wolfius in curis ad h. l. et Doctiſſ. *Anton* in commentatione erudita: das Vorurtheil der Juden, daſs die Krankheiten Strafen der Sünden wären, wird Matth. 9, 2. nicht von Jeſu beſtätigt, ſondern vielmehr widerlegt in diario: Predigerjournal für Sachſen, Juli und Auguſt, 1803. Wittenberg. S. 421. ſq) Quodſi propriam ſequimur verborum huius effati ſignificationem, videmus Ieſum aegroto *vniuerſe peccatorum veniam* annuntiantem. Attamen quum totius euenti narratio oſtendat, hominem illum paralyticum eo tantum conſilio ad Ieſum fuiſſe delatum, vt ſanitatem corporis expeteret ipſi reſtituendam, neque, vt peccatorum, quae commiſiſſet, omnium venia ei

contingeret; non patet, qua de causa Iesus ita fecerit, et, quonam nexu talis peccatorum veniae annuntiatio antecedentibus cohaereat. Proinde haud pauci recentiorum interpretum, Substantiuum ἁμαρτια h. l. metonymice de poena peccatorum (de aegritudine hominis paralytici) interpretantes, verbis Christi: ἀφέωνται σου αἱ ἁμαρτίαι nihil subesse iudicant, nisi hanc promissionem: tollatur illa, quam corpore sentis, poena tuorum peccatorum (ita vt *veniae peccatorum* cogitatio omnino remoueatur.) Liceat his interpretibus quatuor potissimum opponere argumenta: *a)* nondum demonstrari potuit argumentis philologicis, Substantiuo αμαρτια in formula: αφιεναι τας αμαρτιας, notionem *poenae* peccatorum ita vindicari posse, vt haec *sola* poenae, s. mali, quod pro poena habeatur, neque ipsius peccati notio spectetur; *b)* causa nulla apparet idonea, quare Iesus, homini aegrotanti liberationem a morbo futuram annuntiaturus, huius potissimum formulae vsum fecerit, quum aliis locis, vbi vel eadem, vel similia promittuntur, verba magis propria adhibeat; *c)* si Iesus verbis laudatis nihil voluisset exprimere, nisi spem certam sanitatis aegroto restituendae, profecto ne vllam quidem iustitiae speciem habuisset illa legis doctorum circumstantium accusatio, qua effatum Christi βλασφημιαν iudicauerant; *d)* quum forma αφεωνται (vt supra vidimus) rectius vertatur: remissa *sunt*, quam: remissa *sint* peccata

tua; ſponte patet, illam huius effati interpretationem: *tollatur* ea, quam corpore ſentis, tuorum peccatorum poena, ne grammaticis quidem rationibus recte commendari. Quam parum commode vero Ieſus, priusquam aegroto ſanitatem reſtitueret, his verbis eum alloqui potuerit: iam *ſublata eſt* peccatorum tuorum poena (corporis aegritudo) vix eſt, quod moneam. Proinde, quantum equidem video, tutiſſimam viam ingrediuntur interpretes, qui propriam formulae ἁμαρτιας ἀφιεναι ſignificationem ita ſequuntur, vt Ieſum non vniuerſe quidem omnium, quae paralyticus ille commiſiſſet, ſed eorum tamen peccatorum, quorum poena vel fuerit vel exiſtimari poſſit illa corporis aegritudo, veniam aegroto nuntiaſſe exiſtiment. Lucem quippe effato Chriſti probe vident ex illa, quae inter Iudaeos valeret, opinione eſſe adfundendam, qua morbos omnes (inprimis grauiores) poenas eſſe iudicarent peccatorum a Deo immiſſas (cfr. Levit. 26, 6. Ex. 15, 26. Deuteron. 28, 21. 22. 58. 59. 2 Regg. 5, 27. Pſ. 103, 3. Io. 9, 2.) Qui ab eiusmodi morbo conualuerat, ei dicebant peccati, cuius poenam hucusque tolerauit, veniam contigiſſe. Iam vero, quum alia quaedam N. T. effata (Luc. 13, 4. Io. 9, 2. 3.) doceant, Seruatorem ipſum hanc peruerſam plerorumque Iudaeorum iudicandi rationem haudquaquam ſuo conſenſu approbaſſe, ſed probe intellexiſſe,

aliosque docuisse, quanta sit eorum in iudicando temeritas, atque iniustitia, qui, si quem viderint malis adflictum, confestim eum debitam peccati cuiusdam poenam ferre existiment; quaesitum est: quo tandem iure et qua de causa aegrotum illum tanquam peccatorem fuerit alloquutus? Est autem huius quaestionis ea ratio atque indoles, vt certi quid hac de re constitui nequeat, nisi accuratius de eo constet: vtrum Iesus nouerit, aegritudinem, qua hominem illum paralyticum viderit adflictum, poenam esse naturalem peccatorum, quibus corporis sanitas diruueretur, an potius persuasum sibi habuerit morbum illum aliunde esse profectum, neque poenam peccatorum existimandum? Quodsi quis priorem sententiam amplexus fuerit, in promtu est, Seruatorem propterea verbis: ἀφεωνται etc. aegrotum esse alloquutum, vt priusquam ei liberationem ipsam a morbo futuram, paralytico desideratam atque exoptatam nuntiaret, fiduciam hominis (conscientia peccatorum, quibus morbum ipse sibi contraxerat, perturbati) confirmaret, et, quantopere sibi πιστις illa (Matth. 9, 2.) probaretur, aperte declararet, adfirmando: peccati commissi veniam ei paratam esse. Quanquam enim cum aegrotus tum homines eum adferentes, studio illo indefesso, neque difficultatibus atque molestiis fracto, paralyticum quouis pacto ad Iesum Seruatorem deferendi, satis luculentum exhibue-

rant documentum fiduciae in *poteſtate* et *facultate* Ieſu Chriſti aegrotis ſanitatem reſtituendi, experiundo iam abunde cognita, repoſitae; facile tamen ipſa peccatorum, quae olim commiſerat, recordatio homini aegrotanti etiamnum dubitationem poterat iniicere, quae animum perturbaret: an Ieſus ipſum, ſua culpa miſerum, vitae male actae poenis obnoxium, dignum eſſet iudicaturus, cui tantum ſanitatis reſtituendae beneficium contingere iuberet? Quae dubitatio ne hominem amplius reddat ſollicitum animoque haeſitantem, Ieſus confeſtim nuntio peccatorum veniae ipſi paratae laetiſſimo eum conſolatur atque erigit; ſiue hoc ea tantum de cauſa fecerit, quod eiusmodi facta inſignia (volente ita Deo, rerum et viſibilium et inuiſibilium auctore) in animis eorum, qui per Chriſtum ſingulari modo ſanari cuperent, aliquam fiduciae firmitatem ponerent[1]), ſiue etiam docere voluerit, quanta laude illam aegroti πιστιν (perſuaſionem certam de viribus eximiis Ieſu Chriſto conceſſis, atque auxilio diuino eum iuuante) dignam iudicaret, venia peccatorum, quibus morbum ſibi contraxerat, tanquam praemio illius πιστεως, aegroto nuntian-

1) Cfr. quae hac de re ſcite diſſeruit *Mayer* vom Weſen des Wunders in diario egregio: Zeitſchrift zur Nährung chriſtlichen Sinnes herausgeg. von *Ewald* und *Flatt* 1. Heft, Stuttgart, 1815. 8. p. 28—44.

da. Audimus Ieſum ſaepius, vbi homines aegrotos, qui animo fiduciae pleno ipſum adierant, ſanauerat, hoc profitentem, ſanationem exoptatam iis tanquam praemium πιστεως contingere. Cfrr. Matth. 9, 29. 15, 28. Accedere inſuper poterat, quod Ieſus, dum animum aegroti conſolabatur, ſimul tamen, quam probe cauſam huius morbi noſceret ex ipſius peccatis repetendam declarare, atque ita hominem illum factis ſuis moribusque in poſterum emendandis, corporisque viribus reſtitutis rectius adhibendis obligare voluit. cfr. Io. 5, 14. Sin hominem paralyticum ex ipſius Ieſu Chriſti perſuaſione ab eiusmodi certe peccatis grauioribus, quae talem potuiſſent corporis morbum efficere, immunem fuiſſe exiſtimamus; neceſſe eſt, in illo Ieſu Chriſti alloquio blando: θαρσει τεκνον etc. veſtigia accommodationis agnoſcamus, qua Ieſus ad communem illam Iudaeorum opinionem, quemuis morbum grauiorem atque omnino quoduis malum externum peccati cuiusdam eſſe poenam diuinitus inflictam, ſeſe demiſerit. Sequebatur Ieſus, ad hancce vulgi perſuaſionem ſeſe accommodans, conſilium honeſtiſſimum, ante omnia in animo hominis aegrotantis metum atque timorem, ex illa opinione praeconcepta oriundum, ipſique ſanationi obſicientem, remouendi, eiusque fiduciam atque ſpem laetiſſimam, fore, vt ipſi contingeret ex-

optata corporis virium reſtitutio, confirmandi. Quae quidem altera effati Seruatoris intelligendi atque aeſtumandi ratio, quanquam recentiores quosdam huius loci interpretes (inprimis Paulum in Comment. Vol. I. p. 514 ſq. atque Thieſſium in nouo Comment. crit. Vol. I. p. 88.) defenſores nacta eſt, tamen, quantum equidem ſentio, etiamnum ſuis premitur difficultatibus, haud facile tollendis. Praecipuam huius interpretationis difficultatem in eo mihi deprehendere videor, quod neque alia ſuppetunt exempla huius accommodationis, qua Ieſus, aegrotum ſanaturus, ad illam praeconceptam opinionem ſeſe demiſerit [2]),

2) Alia eſt ratio atque indoles illius euenti, quod in euang. Lucae c. 7, v. 44—50. leg. Audimus ibi Seruatorem mulierem quandam, quae pedes Ieſu Chriſti, in domo Phariſaei menſae accumbentis, vnguento perfuderat pretioſo (ſummam animi pietatem teſtatura, haud dubie eo potiſſimum excitatam, quod Ieſus hanc mulierem a morbo e peccatis oriundo ſanauerat, eiusque animum doctrina ſua emendauerat) ita alloquentem, vt partim iterum peccatorum veniam ei annuntiaret (v. 48.) partim iterum adfirmaret v. 50. (id quod iam alio tempore mulieri nuntiaſſe videtur), eam propter fiduciam religionis plenam in auxilio Seruatoris repoſitam a malis ſuis (peccatorum poenis) eſſe liberatam, neque amplius ei quidquam metuendum. Verum ſponte patet, in illa, qua Ieſus hanc mulierem, cum poenitentia ſumma animique dolore intimo peccata ſua agnoſcentem, conſolabatur, peccatorum veniae promiſſione propterea nullum deprehendi poſſe accommodationis ſtudium, quod mulier illa re vera olim fuerit αμαρτωλός (v. 37.)

neque causa patet idonea, quare cum illo potissimum paralytico ita egerit, vt vanam Iudaeorum persuasionem ipse videretur confirmare. Ingenue enim confiteor, meo quidem iudicio non omnino satisfacere, quae Paulus in comment. l. l. disputauerit. Existimat quippe non potuisse in animo hominis aegrotantis eam excitari fiduciam, quae ad sanitatem feliciter restituendam neruosque corporis reficiendos esset necessaria, nisi Iesus confestim, ad opinionem Iudaicam sapienter se accommodans, paralyticum veniae peccatorum ipsi iam paratae atque concessae certiorem reddidisset. Verum enimuero, quid tandem, quaeso, fuit, quod Iesus, vbi ad alios homines aegrotos sanandos se accingeret (inter quos haud dubie permulti fuerunt eadem vana Iudaeorum opinione capti), eandem viam ingredi nollet? (Neque eo potest prouocari, quod huius paralytici aegritudo non tam verus fuerit morbus, quam opinarius, cui Iesus nonnisi ita mederi potuerit, vt, venia peccatorum aegroto nuntianda, vanam eius depelleret opinionem, qua toto corpore fractus sibi videretur atque debilitatus. Liceat lectores ad ea ablegare, quae de hac nonnullorum interpretum coniectura infra disputabimus). Luculentius profecto causa intelligitur idonea, quare illi potissimum aegroto, priusquam eum sanaret, peccatorum veniam iudicaret nuntiandam, si

conceſſerimus, Seruatorem noſtro [3]) Matthaei loco pariter atque illo quem in nota laudauimus (Ev. Lucae c. 7.), cum eiusmodi egiſſe aegroto, cuius morbus atque inbecillitas vitae olim actae, flagitioſae atque diſſolutae, poena fuerit naturalis. Quae Ieſus, partim fiduciam hominis aegroti, partim conſilium vitae rationis immutandae et emendandae confirmaturus, animo cum pietatis tum humanitatis pleno enuntiauerat, iisdem nonnulli, qui adſtabant, legis doctores perperam offendebantur, quippe qui, quum tacite ſecum perpenderent, nemini, niſi Deo ipſi poteſtatem peccata remittendi competere, neque vero Ieſum verum agnoſcerent Dei legatum atque vicarium, verba illa: ἀφεωνται etc. ex

---

5) Ingenioſe quidem V. Paulus ex ipſa forma ἀφεωνται argumentum ducit, quo comprobet, Seruatorem illi praeconceptae Iudaeorum opinioni h. l. ita ſe accommodaſſe, vt ſimul tacite innueret, quam parum ipſi haec perſuaſio vulgaris probaretur. Cfr. quae p. 517. his verbis disputat. „*Jeſus ſagt nicht einmal: deine Sünden werden dir (jetzt „durch mich) nachgelaſſen, ſondern: ſie ſind dir nach„gelaſſen worden, ſind dir nicht ſo, wie du meynteſt, „aufgerechnet geweſen;* remiſſa ſunt, *nicht erſt* remittun„tur.“ Sed, quanquam profecto talem ſententiam e verbis Ieſu Chriſti eruere poteſt, qui aliunde iam cognouit, noluiſſe Seruatorem quaenis mala externa poenas exiſtimari peccatorum; iure tamen meritoque dubitamus, aliquem Iudaeorum circumſtantium, verba Chriſti audientium, ea potuiſſe diuinare, de quibus Paulo cogitaſſe videatur.

animo erga Deum inpio et iniurioso, auctoritatem diuinam arrogantius sibi vindicante, profecta iudicabant. Hac peruersa atque inepta legis doctorum iudicandi et sentiendi ratione probe perspecta atque cognita Iesus v. 4. 5. eos alloquitur: *cur tandem pessima vobiscum cogitatis? vtrum enim est facilius? Num dicere* (ad aegrotum): *peccata tibi sunt remissa? an: surge et incede?* i. q. *sanus esto, recuperata gaude valetudine?* Interrogando adfirmat, eiusmodi doctori, quem Deus ita suo adiuuet auxilio, vt aliis verbo corporis sanitatem restituere valeat, non posse non auctoritatem competere, quae sufficiat ad veniam peccatorum aliis concedendam. Quam quidem vniuersam sententiam confestim ad semet ipsum atque rem praesentem transfert, ita argumentari pergens v. 6. ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ανθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας· (τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ)· ἐγερθεὶς ἆρον σου τὴν κλίνην, καὶ ὑπαγε εἰς τὸν οἰκόν σου: *attamen, vt intelligatis, hominis filium* (Messiam) *potestate gaudere in terra* (inter homines) *peccata remittendi, surge* (inquit ad aegrotum), *tolle lectum tuum domumque abi.* Quanquam phrasis υιος του ανθρωπου per se spectata profecto est ambigua, quum pariter possit de quouis homine intelligi, atque de vno illo praestantissimo, Iudaeis inde ab aeuo Danielis κατ' ἐξοχην ita appellari solito, *Messia;* res ipsa tamen postulat, vt posteriorem phra-

seos: υιος ανθρ. significationem (plerisque N. T. effatis non tantum probe accommodatam, sed etiam ita conuenientem, vt de priori illa, latius patente, cogitari recte nequeat) nostro etiam loco teneamus. Quemadmodum enim potestas morborum solo verbo sanandorum, quam Iesus verbis innuit: ειπειν· εγειραι και περιπατει, vni Iesu Messiae competebat; ita, quam Iesus illi parem pronuntiat, εξουσια veniae peccatorum concedendae haudquaquam simpliciter homini vindicari potuit. Patet insuper e v. 8. Iudaeos adstantes factum a Iesu editum ita esse admiratos, vt in illa paralytici sanatione aliquid extraordinarium (σημειον) agnoscerent [4]). Sed, quomodo tandem Iesus,

4) Primo quidem obtuitu huius ipsius commatis 8. verba nostrae phraseos: υιος του ανθρωπου interpretationi parum fauere videntur, quum l. l. multitudo, quae adstaret, Deum laudibus celebrasse dicatur, quippe qui *hominibus* (ανθρωποις) talem potestatem concessisset. Video quippe V. Paulum (in comment. Vol. I. p. 529.) cuius sententiam de tota huius euenti narratione infra examinabimus, e v. 8. haec colligentem: *aus dem Allgemeinen* τοις ανθρωποις *erhellt, dass der Evangelist selbst, nebst vielen, damals wohl einsah: im vorigen sey nicht von einer Praerogative Jesu, deren Besitz er durch ein Wunder habe erweisen wollen, die Rede, sondern von etwas, das die Menschen fassen, und zum körperlichem Wohl anderer, nach Gottes Willen, der endlich sie zu dieser Einsicht zu kommen veranlasste, anwenden sollten.* Sed quomodo tandem cum his conciliabimus, quae locis parallelis exstant, Marci 2, 12. ωστε εξισταθαι παν-

si hoc egisset, vt simpliciter doceret, homini (hominibus) facultatem esse concessam pecca-

---

τας καὶ δοξάζειν τὸν θεὸν λέγοντας· ὅτι οὐδέποτε οὕτως εἴδομεν et Lucae 5, 26. καὶ ἐδόξαζον τὸν θεὸν, καὶ ἐπλήσθησαν φόβου, λέγοντες· ὅτι εἴδομεν παράδοξα σήμερον? Qui in illa hominis paralytici sanatione factum agnoscebant plane extraordinarium; atque mirum, quale nunquam viderint, de illa ἐξουσια, quam Iesus modo declarauerat, profecto non ita iudicare poterant, vt eam *vniuerse hominibus* a Deo concessam dicerent. Iam nolim quidem hanc difficultatem ita tollere, vt *vel* cum Cludio (qui suum de loco l. iudicium protulit in B. Henkii promtuario: *Museum für Religionswissenschaften etc. 3. B. 2. St.*) coniiciam, in euangelio Matthaei hebraico scriptum quidem fuisse: לְאָדָם: homini (Iesu Christo) sed in versione graeca consulto Pluralem ανθρωποις esse subsitutum, ne Matthaeus Iesum simpliciter hominem appellasse videretur (talis quippe dubitatio dogmatica vix, opinor, in illam cadebat primam Christianorum aetatem, cui nostra debemus euangelia); *vel* cum aliis existimem, abstractum ἐξουσια h. l. pro concreto: ὁ ἐχων την ἐξουσιαν esse positum: Deum laudarunt, qui virum tantae potestatis inter homines excitauerit (quanquam enim recte viderunt, vocab. ἐξουσια aliquoties in N. T. eum innuere, qui potestate quadam, facultate, auctoritate gaudeat, v. c. Romm. 13, 1. nostro tamen loco vulgaris atque propria vocis ἐξουσια significatio propterea est accommodatior, quod eadem manifesto supra v. 6. obtinuit, ad quem huius commatis verba respiciunt.) Immo sola fecit orationis negligentia (qualis in sermone vitae communis obtinet), vt τοις ανθρωποις pro τινι ανθρωπω poneretur. Iudaei, factum insigne atque potentissimum a Iesu editum admirati laudibus Deum celebrarunt, quippe qui *cuidam ex hominibus* (Iesu Nazareno, quem illi iam prophetam certe agnoscebant, omnibus, qui vnquam fuerint, maiorem, Luc. 7, 16.) eam contingere voluerit potestatem, quae hucusque nulli morta-

ta remittendi, ad eiusmodi factum prouocare potuisset extraordinarium? Tota orationis series et argumentatio parum recte sibi constat, nisi Seruatorem verbis υιος ανθρωπου h. l. semet ipsum innuisse concesserimus. *Sibi*, *tanquam Messiae* (vero Dei legato, Dei in coelo versantis voluntatem inter homines exsequenti) non posse facultatem denegari peccata remittendi re ipsa et facto comprobat, ad sententiam respiciens vniuersam v. 5. iam praemissam, dum homini paralytico verbis: εγερθεις etc. corporis vires ipsi iam restituendas annuntiat (id quod confestim euentu esse comprobatum verba docent quae sequuntur v. 7.) Hanc vulgarem, plerorumque interpretum suffragiis comprobatam, argumentationis Iesu Christi explanandae rationem prorsus relinquit V. *Paulus* in comment. (cui Thiessium, qui l. l. eadem Christi verba breuius tangit, adsentientem video.) Est autem ea, quam Paulus exhibet, verborum Christi interpretatio, eiusdem persuasioni de modo, quo Iesus homini paralytico sanitatem restituerit, accommodatissima. Quum Iesus (e sententia Pauli) cognouisset, hominem, qui iam ad eum delatus fuisset, esse melancholicum, qui summa omnium corporis virium

---

lium contigisset, et peccata remittendi, et poenas a Deo immissas auferendi. Cfr. Doctiss. *Anton* in comment. supra laudata p. 423. sq.

debilitate laborare ſibi videretur, atque de reſtitutione virium eo magis deſperaret, quo certius ſibi perſuaſum haberet (praeconceptam plerorumque Iudaeorum opinionem ſequutus), iſtam corporis inbecillitatem poenam eſſe peccatorum ſibi diuinitus inflictam; confeſtim huic aegritudini medicinam adhibebat ſaluberrimam, veniam peccatorum aegroto nuntiando atque ita in eius animo fiduciam laetam excitando, viriumque corporis, quibus re vera etiamnum gaudebat, conſcientiam. Quam quidem de natura huius morbi atque de modo, quo Ieſus eum ſanauerit, perſuaſionem amplexus verba Ieſu Chriſti v. 4. 5. 6. obuia hoc ſenſu atque nexu pronuntiata exiſtimat: „quid „eſt, quod peſſime de me iudicetis (me pie„tatem Deo debitam violaſſe adfirmantes, quum „homini paralytico nuntiarem, peccata, quae commiſiſſet, eſſe remiſſa)? Potuiſſem profecto „aegrotantem confeſtim verbis alloqui: ſurge „et incede (tenta confidenter corporis vires „tibi profecto non ereptas, ſenties te ſanum „atque reſtitutum.) Vtrumque haud maiori „difficultati eſt obnoxium, neque magis pen„det ab auctoritate quadam praecipua viribus„que eximiis, quam alterum. Conſulto tamen „(fiduciam aegroti excitaturus) haec praemit„tere malui: peccata tibi ſunt remiſſa. Euen„tus ipſe vos doceat, quonam conſilio ita fece„rim, et quonam iure mihi pariter atque cui-

„uis homini peccata remissa pronuntiare (opi-
„nionem praeconceptam, qua quis peccatorum
„poenae physicae obnoxius sibi videatur, sani-
„tati obficientem, remouere) liceat. Agedum
„(alloquitur aegrotum) surge, tolle lectum
„tuum, domumque abi.“ Quanquam lubentissime acumen agnosco ingenii in tali huius sermonis interpretatione conspicuum; aeque tamen mihi persuasum habeo, haud facile sententiam Pauli suo suffragio esse probaturum, qui totam narrationem atque sententiarum seriem ita spectauerit, vt nullo ducatur opinionis praeconceptae studio. Nam primum quidem ipsa illa de indole atque natura morbi, quo paralyticus ille laborasse dicitur, coniectura, quam Paulus proposuit (totam hominis aegritudinem opinariam potius existimans quam veram) difficultatibus inpedita est haud exiguis. Neque enim in tota huius euenti narratione apud Matthaeum, Marcum, et Lucam obuia verbulum deprehendimus, quod illam Pauli coniecturam adiuuet (immo, quod scriptores illi vnanimi consensu perhibent, debuisse hunc paralyticum aliorum hominum ope, in lecto decumbentem ad Seruatorem deferri, satis aperte veram innuit paralysin); neque intelligimus, quomodo persuasio illa, qua paralysin tanquam poenam peccatorum sibi putaret inflictam, eam vim habere potuerit, vt de restituenda corporis valetudine prorsus de-

ſperaret, ideoque non prius poſſet de viribus (quibus etiamnum gauderet) ſerio ac ſtrenue tentandis cogitare, quam Ieſum audiiſſet veniam peccatorum ei confidenter nuntiantem. Ex illa quippe perſuaſione nulla profecto neceſſitate hoc ſequebatur, aegritudinem, cui obnoxius ſibi videretur, ſanari (ſ. poenam illam remoueri) *non poſſe*. Neque paralyticus, ſi ita ſibi perſuaſum habuiſſet (melancholiae obnoxius), corporis ſui inbecillitatem propterea *tolli non poſſe*, quod Deus ipſi hanc immiſiſſet poenam poſitiuam, illa fiducia, quae Seruatori egregie probaretur, Ieſum adiiſſet. Quomodo enim πιστις illa (quae hominem arguit de eo nequaquam dubitantem, num fieri poſſit, vt Seruator ille potentiſſimus, cuius auxilio beneficio tot alii aegrotantes valetudinem receperint, ſuas quoque vires fractas reſtituat) cum eiusmodi opinione vana, quae (ſi Paulum audiamus) tam firma erat, tantamque exſerebat efficaciam, vt omnem vires tentandi conatum reprimeret, conciliari poterat? Contra bene cohaerent omnia, ſi partes eorum ſequimur, qui hominem paralyticum vera corporis aegritudine (vera paralyſi) e peccatis, quorum ipſe ſibi probe eſſet conſcius, oriunda decubuiſſe largiuntur [5]). Hac enim ſen-

5) Ceterum, etſi quis interpretibus, qui miraculum proprie ſic dictum in hac aegroti ſanatione agnoſcere nolunt, con-

tentia probata nexus, qui illam hominis aegroti fiduciam (πιστιν) ex ipso studio indefesso, quo ad Iesum deferri volebat, eluceſcentem inter atque Iesu Christi alloquium solatii plenum atque spem excitans laetissimam (θαρσει τεκνον αφεωνται σοι αι αμαρτιαι σου) intercedit, nullis amplius laborat difficultatibus. Quanquam aegrotus de *potestate* Seruatoris eum sanandi erat persuasissimus, etiamnum tamen tristitia quadam deprimebatur et sollicitudine, cuius causa partim in eo versabatur, quod veram sentiebat (neque opinariam) corporis inbecillitatem, admodum molestiam, partim in ipsa peccatorum, quibus morbum sibi contraxerat, recordatione, quae animum hominis dubium reddebat atque haesitantem, an Iesus eum dignum esset iudicaturus, cui sanitatem exoptatam contingere iuberet? Quibusnam causis ductus Seruator, qui pariter illam hominis fiduciam laetabundus obseruauerat, atque reliquam eius animi conditionem probe cognouerat, verbis peccatorum veniam pa-

---

cesserit, ipsa animi consolatione, quae homini aegroto contigisset, quum Iesus eum oratione blanda et benevola (v. 2.) alloquutus fuisset, factum esse, vt vires corporis lapsae excitarentur, summa tamen perspicuitate miraculum elucet praescientiae, in eo conspicuum, quod Iesus v. 5. 6. haud obscure persuasionem firmam declarauerit, aegrotum illum confestim sanitatem recuperaturum esse. Cfr. quae hac de re egregie obseruata sunt a V. *Flattio*: Bemerkungen über Matth. 9, 6. in promtuario: Magazin für christliche Dogmatik und Moral fortgesetzt von *Süßkind*, 16. Stück p. 159. sqq.

ratam nuntiantibus eum alloquutus fuerit? iam ſupra vidimus [6]). Quod vero eam quam Paulus exhibuit, argumentationis Ieſu Chriſti v. 5. 6. obuiae explanationem (ipſius coniecturae de natura morbi atque de methodo, qua Ieſus eum ſuſtulerit, pſychologica probe accommodatam) attinet; hoc inprimis male me habere haud diffiteor, quod plura in ſubſidium vocare debeat, addenda et tacite ſubintelligenda, quorum veſtigia in ipſa textus graeci ſerie deſiderentur. Quo plura ſunt eiusmodi ſupplementa logica, quibus effati cuiusdam interpretatio indiget; eo magis deflectit haec interpretatio ab illa ſimplicitate iuſta et natiua, cuius obſeruandae in explicandis euangeliſtarum noſtrorum commentariis praecipua eſt neceſſitas. Tota profecto effati, quo Ieſus hominem aegrotum (v. 2.) alloquutus fuerat, apologia, qua ipſe v. 4. 5. 6. vſus eſt, iis pronuntiatur verbis, ex quibus illi legum doctores, quorum ineptis criminationibus Seruator defenſione iuſta et perſpicua erat ſatisfacturus, nequaquam eam potuerant ſententiam eruere et argumentatio-

---

6) Cfr. quae contra Paulum recte monuerunt V. Langius: *einige Bemerkungen über die hiſtoriſch-pſychologiſche Erklärungsart d. neuteſtamentlichen Wunderbegebenheiten in Süſskind's Magazin für chriſtl. Dogmatik und Moral*, 11tem St. S. 41 ſqq. *Flatt* in comment. nota 4. laud. Doctiſſ. *Anton* in comment. ſupra laudata p. 435. — p. 441. et *Kuinoel* in editione ſecunda commentarii ad euang. Matth. (Lipſ. 1816.) ad h. l.

nem, quam Paulus verbis Chriſti ſubſtituit. Vnde enim, quaeſo, patebat illis Chriſti aduerſariis, Ieſum h. l. formulae αφιεναι τας αμαρτιας eum feciſſe vſum, vt minime remiſſionem peccatorum intelligeret proprie ſic dictam (de qua loquendi vſus quemuis huius effati lectorem et auditorem cogitare iubebat), ſed profeſſionem ingenuam, quae aegroto declararet, eius perſuaſionem de poena, cui obnoxius eſſet, peccatorum phyſica meram eſſe opinionem praeconceptam atque temerariam? Immo iudicium ſiniſtrum atque peruerſum, quod legisperiti, veram Ieſu Chriſti auctoritatem agnoſcere nolentes, de eius verbis: αφεωνται σοι αι αμαρτιαι σου tulerant, Ieſum inpie eſſe loquutum, eam auctoritatem ſibi vindicantem, quae ſoli Deo competat (v. 3.), ſponte declarat, eos verba Chriſti ita eſſe interpretatos, vt eorum vim et ſignificationem ſequerentur propriam. Quodſi haec alio ſenſu voluiſſet intelligi, omninoque illam, de qua Paulus cogitauit, ſententiarum ſeriem exprimere, debuiſſet profecto pluribus vti verbis formulisque minus ambiguis. His de cauſis vulgarem illam totius loci interpretationem, ſupra accuratius expoſitam deſerere nolui; qua quidem probata et admiſſa, dubio caret, *voluiſſe Seruatorem e facto inſigni, quod homine paralytico ſanando ediderat, neque niſi auxilio Dei ſingulari adiutus edere potuerat, poteſtatem comprobari et auctoritatem ſibi conceſſam, peccatorum ve-*

niam largiendi, dignitati Messianae coniunctissimam[7]).

§. 12.

Transimus ad alium locum depromtum ex euangelio Matthaei 16, 8—11. (cfr. locus parall. Marci 8, 17—21.) Postquam Matthaeus c. 16, v. 1—5. nonnulla de sermone Christi cum Pharisaeis et Sadducaeis habito breuiter interposuerat, redit v. 5. ad narrationem c. 15. ex. inchoatam, sed interruptam, de itinere, quo Iesus, lacum Tiberiadis traiiciendo, regionem Magdalensem adire constituerat. In quo quidem itinere dum Iesus vna cum discipulis versabatur, his verbis eos admonuit (v. 6.): studiose vobis cauete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum. Fermento comparat (vt ipse Matthaeus v. 12. docet) placita religionis morumque peruersa et arbitraria, consilio Iesu Christi repugnantia, quibus propagandis et commendandis Sadducaei atque Pharisaei operam nauare solebant. Quemadmodum enim haec fermenti est natura atque indoles, vt in totam, cui inferatur, massam sese insinuet eiusque naturam prorsus immutet;

---

7). Cfr. quae de vi probandi loco explicato inhaerente breuiter quidem sed egregie disputata sunt a B. *Storrio: hat Jesus seine Wunder für einen Beweis seiner göttlichen Sendung erklärt? in Flatt's Magazin für christliche Dogmatik und Moral, 4tem Stück, S. 232 ff.* itemque a *Flattio* in comment. nota 4. commemorata.

ita, quae Phariſaei atque Sadducaei propagabant, placita vim ſuam longe lateque exſerebant, ita vt verae ac purae religionis morumque doctrinae, admodum noxia euaderent et periculoſa. Diſcipuli vero, haec audientes, memoresque, panes ſibi deeſſe in vſum itineris ſufficientes (Marci 8, 14.), quae Ieſus ſenſu illo ſublimiori tropice monuerat, ſenſu proprio dicta exiſtimant, tanquam ſi hoc praeceperit: cauete vobis, ne forte, e nauigio in terram egreſſi, propter inopiam panum, a Sadducaeis et Phariſaeis panem vobis comparetis. Etenim, quum Seruatorem ſaepenumero audiiſſent homines illos propter inprobitatem vitae, cui permulti aſſeclae vtriusque ſectae indulgebant (licet virtutem et ſanctitatem cum oris profeſſione, tum habitu externo ſimulantes), grauiter reprehendentem, atque praeterea in communi illa verſarentur Iudaeorum perſuaſione, hominem, qui inpurus ſit, quae manibus omninoque corpore ſuo tangat, contaminare, ita vt, ſi quis eiusmodi rem per hominem inpurum inquinatam tetigerit, ipſe veniat in eiusdem inpuritatis conſortium; facile ſuſpicari poterant, Ieſum de fermento Phariſaeorum et Sadducaeorum diligenter euitando eos admonentem, caueri voluiſſe, ne forte vſu panis ab eiusmodi hominibus ſuppeditati inpuritatem aliquam contraherent. Huius autem diſcipulorum coniecturae temerariae vanitatem Ieſus v. 8 ſeqq. his declarat verbis: τὶ διαλογίζεσθε ἐν ἑαυτοῖς, ὀλιγόπιστοι, ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβετε; οὔπω νοεῖτε, οὐδὲ μνημονεύετε τοὺς πεντε

ἄρτους τῶν πεντακισχιλίων, καὶ πόσους κοφίνους ἐλάβετε; οὐδὲ τοὺς ἑπτὰ ἄρτους τῶν τετρακισχιλίων, καὶ πόσας σπυρίδας ἐλάβετε; πῶς οὐ νοεῖτε, ὅτι οὐ περὶ ἄρτου εἶπον ὑμῖν; προσέχετε δὲ ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων καὶ σαδδουκαίων: *cur tandem de eo inuicem disceptatis, vos parum confidentes, quod obliti eſtis panes, quot ſufficiant, vobiscum ferre? Nondumne recte intelligitis (ſermones meos), neque meminiſtis, (nuper) quinque panes quinque millibus hominum ſuffeciſſe, et, quot caniſtra (fruſtulis reſiduis repleta) illo tempore ſuſtuleritis? neque (alio tempore) ſeptem panes quatuor millibus ſuffeciſſe, et, quot caniſtra ſuſtuleritis? Quomodo ſit, vt non intelligatis, me nequaquam de pane eſſe loquutum? Immo (iterum vos moneo) a fermento Phariſaeorum et Sadducaeorum vobis cauete*[8]). Audimus Ieſum in diſcipulis ſuis duo potiſſimum notantem et vituperantem, *a)* quod nondum bene valeant ſermones ſuos intelligere, et, quae ſenſu dicebat proprio, ab iis diſtinguere, quae figuram continebant (οὔπω νοεῖτε;) *b)* quod parum perpendant, Ieſum alio tempore (Matth. 14, 14—21. 15, 33—39.) iterata vice, inſigni hominum multitudine congregata, alimentorum defectui modo prorſus inexſpectato conſuluiſſe. Huius enim vtriusque eventi ſi bene

8) Repetit Ieſus v. 11. verba v. 6. prolata non ſimpliciter, ſed ita vt in verbis ζύμης των Φαρισ. vim ponat eximiam, diſcipulosque hac ratione ad ſenſum effati ſui tropicum recte aeſtumandum et inueſtigandum reddat attentiores.

fuiſſent memores, neque de panis defectu haeſitaſſent ſolliciti, neque ſuſpicari potuiſſent, Ieſum de fermento Phariſaeorum cauendo propterea eos admonuiſſe, quod de anguſtiis alimentorum metuendis cogitaſſet. Debebant potius ex iis, quae nuperrime acciderant, cognoſcere, ſibique perſuadere, idem Ieſu Chriſti auxilium beneficum, quod nuper magnae hominum turbae ſatiandae conſuluerat, multo minus hoc tempore iis eſſe defuturum. *Deſiderabat Ieſus in ſectatoribus fiduciam firmam in poteſtate eius atque ſtudio hominibus adflictis et in anguſtias redactis auxilio benefico ſuccurrendi collocandam, quae factis inſignibus nuperrime editis excitari et confirmari debuerat.* (cfr. quae in commentatione priori §. 6. de effato Seruatoris claſſico disputata ſunt, ex euang. Io. c. 6. depromto, quod illi facto inſigni, magna hominum multitudine ſatianda edito, cohaerebat.) Alia quidem fuit V. *Pauli* (in Comment. ad N. T. Volum. II. p. 444. 45.), atque *Thieſſii* (in nouo Comment. critico Volum. I. p. 174.) de conſilio, quo Ieſus v. 9. 10. discipulis haeſitantibus ea, quae alio tempore acciderunt, in mentem reuocauerit, ſententia. Etenim, quum vterque ſibi perſuaſum habeat, duplicem illam magnae hominum copiae cibationem (Matth. 14, 14 ff. 15, 33 ff. enarratam) non referendam eſſe inter miracula, ſed e cauſis praeſidiisque explicandam naturalibus, in commentariis euangeliſtarum ſumma narrationis breuitate vtentibus non accuratius notatis, et ſe-

paratim expositis; vterque consilium totius effati (v. 9. 10.) in eo quaerendum existimat, quod Iesus commemorandis iis, quae nuper accidissent, discipulis persuadere voluerit, non esse, quod animum iam desponderent, atque metu praematuro inopiae forsitan exoriturae perturbarentur, quum ipsa experientia iterata vice eos docuisset, exigua quoque alimentorum copia, sapienter adhibita, desideriis multorum posse satisfieri. Quanquam argumentis a V. Paulo propositis, quibus suam totius euenti interpretationem ingeniose studuit defendere (in Comment. ad Matthaeum 14, 13 ff. p. 293 ff.) minime deest probabilitatis species; plura tamen me impediunt, quo minus ea, quae Paulus l. l. disputauerit, ad euentum totum e causis naturalibus explicandum sufficere existimem. Quo diutius enim hanc interpretationem ipsis Euangelistarum verbis comparo, eo magis in eo haereo, quod, si quis eandem viam in illo euento explicando ingredi voluerit, partim plura debet ponere et cogitando supplere, quorum vestigia in ipsa textus graeci serie nemo facile monstraturus est, partim quibusdam euangelistarum verbis interpretationem adhibere artificiosam. Ponat inprimis necesse est, in illa hominum turba coram Iesu congregata haud paucos fuisse, quibus etiamnum alimenta, in canistris residua, suppeterent, ita vt, dum illi, quibus cibi supereſſent, exemplo Christi et Apostolorum excitati, eorumque monita sequuti, cum ceteris victu prorsus destitutis sua com-

municarent alimenta, communes possent epulae institui, a quibus nemo inpransus discederet. Neque vero huic coniecturae apte conciliare possumus, quae apud Matth. 15, 32. Marcum 6, 38. 8, 3. Ioannem 6, 7. legimus, quippe quae satis aperte arguunt, ex ipsius Iesu Christi eiusque discipulorum iudicio multitudinem congregatam vel omni cibo prorsus fuisse destitutam, vel tam parcum certe habuisse victum, vt ne pauci quidem horum vsu possent satiari. Accedit, quod sub finem totius narrationis additur, epulis finitis, duodecim canistra reliquiis alimentorum collectis esse impleta. Talis reliquiarum numerus quum profecto ponat, alimentorum, quae (vt Paulus existimat) multitudini congregatae supereſſent, tantam fuisse copiam, vt nullae omnino existere possent cibi angustiae, quae animos redderent haesitantes; ipse Paulus, difficultatem inde oriundam coniecturae suae repugnantem probe sentiens, aliam commendauit illius additamenti quo de reliquiis collectis agitur (Matth. 14, 20. cfr. 15, 37. Marci 6, 43. 8, 8. Luc. 9, 17. Io. 6, 13.) interpretationem. Tribuit quippe verbo ἦραν (apud Matth. et Marcum obuio) et formae passiuae ἠρθη (apud Lucam l. l.) vim temporis plusquamperfecti, formulamque το περισσευμα των κλασματων de iis interpretatur, quae de duobus piscibus et quinque panibus restabant, postquam Iesus ipse cum discipulis exiguam horum alimentorum partem in suum vsum conuerterat, ita vt verbis: καὶ ἦραν τὸ περισσεῦον etc.

hanc ſententiam ſubeſſe exiſtimet: Apoſtoli quippe attulerant duodecim caniſtra, inpleta panum fruſtis (fractis), quae ſupererant Ieſu ac diſcipulis. Quae quidem noua verborum interpretatio nouis difficultatibus nos inpediat neceſſe eſt. Iure enim meritoque quaeſtionem liceat mouere, vnde tandem factum ſit, vt omnes euangeliſtae, *finita demum ipſarum epularum narratione*, illam adderent notam de περισσευμασι των κλασματων (quae profecto, ſi eo ſenſu, quem Paulus verbis ſubſtituit, addebatur, minime ad finem totius narrationis pertinebat, ſed in priori eius parte erat collocanda)? Nonne hic ipſe narrationis ordo, apud omnes euangeliſtas conſtantiſſime ſeruatus, vulgarem illius notae interpretationem, qua de reſiduis ciborum fragmentis poſt coenam collectis explicatur, defendit atque confirmat? Praecipua, opinor, perſpicuitate perſuaſionis noſtrae veritas e locis patet euangeliorum Lucae (9, 17.) atque Ioannis (6, 12. 13.) In illa quippe clauſula, quam Lucas l. l. narrationi ſuae ſubiungit (καὶ ἔφαγον, καὶ ἐχορτάσθησαν πάντες καὶ ἤρθη τὸ περισσεῦσαν αὐτοῖς κλασμάτων, κοφινοι δώδεκα) ipſa docet verborum collocatio, pronomen αὐτοῖς minime de Ieſu eiusque diſcipulis eſſe intelligendum, ſed illam hominum turbam innuere, cui ſatiandae Ieſus auxilio conſulu-erat benefico. Neque minus apparent dilucida, quae apud Ioannem l. l. leguntur: ὡς δὲ ἐνεπλήσθησαν — τοῖς βεβρωκόσιν; niſi quis, tota orationis ſerie parum addicente, verba v. 13. και εγεμισαν —

κριθινων parentheseos signis includenda putauerit, et aoristo εγεμισαν vim plusquamperfecti tribuendam: collegerunt igitur [inpleuerant enim fragmentis ex quinque panibus duodecim canistra] ea, quae superfuerunt iis, qui comederant. Neque video, quomodo paucis illis alimentis, quae Iesu eiusque discipulis illo tempore suppeterent, duodecim canistra inpleri potuerint[9]). Praestat ea sequi ac tenere, quae e verbis euangelistarum, absque omni partium studio explicatis, sponte elucescunt, et in illa vtraque cibatione (quam Iesus Matth. 16, 9 ff. discipulis de panum defectu sollicitis in mentem reuocat) factum agnoscere extraordinarium, cuius ratio interna accuratius definiri et inuestigari nequeat. Neque discipulos Christi hac de re aliter iudicasse dixerim. Ipsa enim Matthaei, Marci, atque Lucae diligentia, qua partim eximiam hominum multitudinem, quorum desideriis Iesus illo tempore satisfecit, partim exiguam alimentorum copiam, quae Iesu et discipulis suppetebant, partim nume-

9) Nolim cum auctore doctissimo libri: Kritik des Commentars über das N. T. von Paulus, Jena, 1804. p. 87. dicere, Christum, si de miraculo edendo cogitasset, non quaesiturum fuisse ex discipulis (Marci c. 6. v. 38.), quot panes iis suppeterent? Immo quaestionem, quam legimus, iis proponere potuit, quo magis eos ad exiguam alimentorum, quae suppeterent, copiam attentos redderet, fiduciam eorum exploraturus.

numerum caniſtrorum, quae reliquiis alimentorum collectis inpleta ſunt, accurate notant et commemorant, haud obſcure arguit, eos totius euenti hiſtoriam ita expoſuiſſe, vt lectorum animos ad factum aliquod inſigne et extraordinarium a Chriſto editum attentos redderent. Inprimis vero ad rem noſtram locus facit Ioannis parallelus (ev. c. 6. v. 14. 15.) vbi Ieſus diſerte σημειον edidiſſe dicitur, cuius tanta admiratio inter homines congregatos excitata fuerit, vt conſilium caperent, eum regem ſuum conſtituendi atque principem. Liceat inſuper ad notam Marci (ev. 6, 52.) prouocare (additam narrationi de maris tempeſtate ſubito ſedata, quum Ieſus nauem conſcendiſſet) qua priorem illam magnae hominum turbae cibationem (6, 39 ff. enarratam) ita commemorat, vt ipſe animum notet hebetiorem (καρδιαν πεπωρωμενην) diſcipulorum Ieſu Chriſti, quippe qui, etſi illius euenti teſtes fuiſſent oculares, nondum tamen ſatis firmam concepiſſent eorumque animo perpetuo obuerſantem de viribus Ieſu conceſſis plane eximiis, atque auxilio Dei ſingulari eum adiuuante perſuaſionem. Quae quum ita ſint, verba Ieſu Chriſti (loco noſtro Matth. 16, 9. 10. obuia) quibus ad vtramque illam magnae hominum multitudinis cibationem prouocat, a diſcipulis (qui profecto in vtroque euento σημεια a Chriſto edita agnouerant) nonniſi eo ſenſu capi poterant, vt ipſi intelligerent, Seruatorem ad facta prouocaſſe inſignia, nuperrime edita, quae in animis eorum fiduciam excitare debuiſſent firmiſ-

simam, in voluntate et potestate doctoris eximia, hominibus, qui in angustiis versarentur, auxilium ferendi beneficum, collocandam, eiusmodi dubitationibus, qualis illa fuit de metuenda panum inopia, inter discipulos coorta, confestim depellendis idoneam. Eodemque sensu Iesum verba sua intelligi voluisse, praecipua perspicuitate verba docent, quibus v. 8. discipulos alloquitur: τὶ διαλογίζεσθε ἐν ἑαυτοῖς, ὀλιγοπιστοι (cfr. Matth. 8, 26. 14, 31.)

§. 13.

Breuius defungi licebit alio loco, qui in euangelio Lucae c. 17. v. 17. 18. deprehenditur. E decem leprosis, qui beneficio Iesu Christi puritatem corporis et sanitatem recuperauerunt, vnus Samaritanus, postquam se sanatum esse intellexerat, ad Iesum rediisse, Deum alta voce celebrasse, atque Seruatori supplex gratias egisse dicitur. Hanc piam animi grati professionem Iesus v. 17. 18. his verbis excipit: οὐχὶ οἱ δέκα ἐκαθαρίσθησαν, οἱ δὲ ἐννέα ποῦ; οὐχ εὑρέθησαν ὑποστρέψαντες δοῦναι δόξαν τῷ θεῷ, εἰ μὴ ὁ ἀλλογενὴς οὗτος; *nonne decem sanati sunt? vbinam reliqui nouem? noluerunt ne reuerti, vt Deum celebrarent, praeter hunc alienigenam?* In promtu est, Seruatorem, dum illam Samaritani pietatem laudibus efferret, ceterorum vero (Iudaeorum), quibus idem beneficium contigisset, negligentiam profanam atque impiam vituperio notaret iustissimo, satis aperte hoc professum esse,

debuisse animos illorum hominum, in quibus sanandis[10]) *factum insigne edidisset, eo ipso ad Deum conuerti, ita vt vim diuinam, quae iis per Iesum beneficia exstitisset atque salutaris, animo grato agnoscerent atque celebrarent.* His comparare iuuat loca similia Marci 5, 19. Lucae 8, 39. vbi Iesus hominem daemoniacum, quem a morbo liberauerat, cohortatur, vt, quantum beneficium Deus ipsi contingere iusserit, animo grato inter domesticos suos atque populares praedicet.

---

10) Singularem quidem totius euenti interpretationem, quae huic decem leprosorum sanationi speciem facti miraculosi detrahit, a Paulo (in Comment. Vol. II. p. 837 ff.) video propositam, qui verbis Euangelistae nihil putat nisi hoc inesse, homines leprosos, postquam Seruatorem inploraſſent, vt saluti suae quodammodo consuleret, eius consilio et mandato obsequutos, ad sacerdotes abiisse, eorumque iudicio et testimonio *puros esse declaratos* (i. e. in eo statu valetudinis sensim sensimque redeuntis versantes, qui iis iam permitteret, vt aliorum vterentur consuetudine.) Attamen, ex mea quidem persuasione, neque illa admiratio pia atque grata, qua Samaritanus, qui ad Iesum redierat, supplex eius beneficium celebrasse dicitur, recte potest intelligi, nisi Iesum huic pariter atque ceteris aegrotis maius beneficium exhibuisse concedamus, quam quod in sola illius officii lege iniuncti sacerdotes adeundi commendatione versaretur; neque hanc totius euenti explicandi rationem recte admittunt verba v. 14. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὑπάγειν αὐτοὺς ἐκαθαρίσθησαν, quae, si vsum loquendi et linguae leges teneamus, non possunt nisi ita verti: in ipso itinere (s. cum abirent) sanati sunt.

§. 14.

Alio modo videmus Seruatorem, quaenam voluerit miraculis inter homines efficere, haud obscure iis declarantem, quae homini dicit coeco, nuperrime eius beneficio sanato (quem Pharisaei, inuidia et odio contra Iesum excitati atque commoti, excommunicauerant) in ev. Io. c. 9. v. 35 sqq. Deprehendit Iesus hominem iniuste vexatum, eiectum, sibi relictum, atque, quum probe nosset, qua poena fuisset adfectus, et, qua constantia piam animi de Iesu diuinitus adiuto persuasionem professus fuisset, his verbis eum alloquutus est (v. 35.): σὺ πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ; fidemne habes filio Dei? i. e. promtusne es atque paratus ad fidem habendam ei, qui iure meritoque Messiam se appellat, eiusque auctoritatem Messianam agnoscendam? Quanquam sanatus ille persuasissimum sibi habebat, eum, cuius beneficio visum recuperauerit, prophetam esse a Deo legatum, fauore diuino gaudentem (cfr. v. 17.); nondum tamen Messianam Iesu dignitatem suspicatus fuerat. Respondet igitur v. 36. καὶ τίς ἐστι, κύριε, ἵνα πιστεύσω εἰς αὐτόν; quis ille est Domine? (doceas, quaeso) vt fidem ei habere possim. Profitetur et intimum personam Messiae cognoscendi desiderium, et animum ad probanda ea, quae Iesus ei hac de re porro sit patefacturus, pronum et procliuem. Cui desiderio Iesus confestim (v. 37.) verbis satisfacit: καὶ ἑώρακας αὐτὸν, καὶ ὁ

λαλῶν μετὰ σοῦ, ἐκεῖνός ἐστιν: iam vidisti eum; qui tecum loquitur, ipse est (Messias). Quaesiuerunt interpretes, vtrum hoc ἑώρακάς αὐτὸν de tempore praesenti intelligi debeat, quo Iesus illum, iam excommunicatum, obuiam nactus et alloquutus fuerat, an de eo tempore, quo visum receperat (cfr. Paulus in comment. ad Io. Vol. I. p. 479.) Malim equidem priori sententiae propterea meum addere calculum, quod non modo in antecedentibus nulla deprehendimus vestigia, e quibus colligi possit, hominem sanatum, recuperato vsu oculorum, priusquam ea acciderent, de quibus v. 24 — 34. exponitur, *confestim* ad Iesum rediisse, eumque iam de facie cognouisse, sed etiam contrarium inde videtur elucescere, quod, postquam sanatus fuerat, Iudaeis quaerentibus, vbinam ille versaretur, cuius beneficio visum recuperasset? palam declarasse dicitur (v. 12.) se prorsus ignorare. Neque his opponere licet, parum recte intelligi, quomodo tandem fieri potuerit, vt homo sanatus, quum Iesus eum deprehendisset (v. 35.), auctorem beneficii in ipsum collati statim agnosceret, nisi eum iam alio tempore, visu recuperato, Iesum de facie cognouisse concedamus. Quidni enim, quum Iesus ei obuiam factus esset, eumque alloquutus (v. 35.), vel e voce Iesu audita, vel e sermonibus eorum, qui illo tempore Iesum comitabantur, colligere potuit, eundem esse, cuius consilio obsequutus visum receperit? Quae quum ita sint,

verbis Christi (v. 37.) hanc sententiam existimo subiiciendam: iam nunc (dum mecum loquutus es) vidisti eum, quem de facie cupis cognoscere; qui tecum loquitur, Christus est. His Iesu verbis homo sanatus confestim (v. 38.) fidem habuisse dicitur; ita vt supplex eum veneraretur. Quanquam igitur e facto [11]) insigni quod Iesus, oculorum vsu ei reddendo, ediderat, nondum Messianam eius dignitatem agnouerat, sed de eo tantum sibi persuaserat, huius sanationis beneficae auctorem prophetam esse eximium; *videmus tamen Iesum hac ipsa fiducia summa per factum insigne excitata, quam homo sanatus in vera illius auctoritate prophetica reponebat, ita vtentem, vt eundem ad firmissimam de dignitate sua Messiana persuasionem amplius perduceret.*

§. 15.

Restat vnius effati pertractatio, cuius vsum ad quaestionem nostram recte soluendam haud parum conferre video, ev. Io. c. 11. v. 4. 15.

---

11) Sanationem huius coeci inter facta referre insignia propterea non dubito, quod partim nemo facile ex iis, quae Iesus v. 6. 7. feciſſe atque aegroto praecepiſſe dicitur, cauſam reſtitutionis oculorum, qui a natalibus inde aegritudine laborauerint, naturalem eamque ſufficientem eruet, partim ex iis, quae v. 13 ſqq. narrata legimus, facile patet, non tantum ipſum hominem ſanatum, ſed etiam eiusdem parentes, ceterosque Iudaeos, quibus euentum innotuerat, hac in re σημειον agnouiſſe. (cfr. v. 16. 30—33.)

40. 41. 42. Nuntiis, quos Lazari morbo letali decumbentis sorores ad Iesum legauerant, huius morbi certiorem eum reddituros, eumque, vt aegrotanti auxilio succurreret, excitaturos, Iesus v. 4. haec respondisse dicitur: αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ δι' αὐτῆς. Cuius effati verba priora [12]): αὕτη — θανατον: haec aegritudo minime est letalis, primo quidem obtuitu propterea difficultate quadam premuntur hermeneutica, quod, si quis propriam verborum significationem sequi voluerit, ea, quae Iesus h. l. de indole atque exitu aegritudinis Lazari dixerit, neque euentui conueniant, neque iis, quae Iesum ipsum hac de re exspectasse et iudicasse verba v. 15. satis aperte demonstrent. Triplex esse potest huius repugnantiae soluendae ratio. Vel enim Iesus, quum aegritudinem Lazari non letalem iudicaret, errasse censendus est, vel obitus Lazari non verus fuisse existimandus, sed speciosus, vel verba Seruatoris sensu minus proprio intelligenda. Quo minus concedam, Iesum hac in re errore fuisse deceptum, cum sapientia Christi inpedit atque prudentia, in aliis eiusmodi iudiciis ferendis conspicua, abunde cognita, neque euentu decepta,

12) In promtu est, eiusmodi aegritudinem dici ασθενειαν προς θανατον, quae mortem adferat, quemadmodum αμαρτια προς θαν. de peccato dicitur θανατον adferente 1 Io. 5, 16. cfr. etiam hebr. חֳלָה לָמוּת 2 regg. 20, 1.

tum, quod e v. 11. 14. 15. patet, Seruatori vim atque indolem illius morbi tam probe innotuisse, vt, biduo elapso, sponte [13]) nosset, suisque discipulis indicaret, Lazarum esse mortuum. Nequaquam defuerunt illius coniecturae, cuius mentionem modo fecimus, (mortem Lazari non veram, sed speciosam iudicantis) defensores cum eruditione tum ingenii acumine insignes, in quibus duo potissimum Theologi eminent, V. *Paulus* (in comment.) et V. *Gablerus* (*über die Wiederbelebung des Lazarus im Journal für auserlesene theologische Litteratur, 3ten Bandes zweytem Stück* 1807.) Vterque enim Lazarum aegrotantem sopore alto s. animi deliquio (syncope) ita obrutum fuisse existimat, vt, quum illius aeui homines certa mortis verae signa parum accurate nossent, tanquam mortuus, ritu Iudaico ipso mortis die sepulcro reponeretur; quarto autem die, postquam Iesus Bethaniam profectus, de vero amici obitu nondum certo persuasus, neque omnem omnino spem abiiciens, sepulcrum aperiri iussisset, prouidentia diuina moderante,

13) Etenim, quod V. Paulus in comment. ad Io. p. 536. coniecit, eundem nuntium, qui Seruatorem v. 3. aegritudinis Lazari certiorem dicatur reddidisse, postridie, quum Lazarum deprehendisset mortuum, confestim ad Iesum rediisse, eidemque obitum Lazari indicasse, id non tantum omnibus destituitur vestigiis, in narratione Ioannea obuiis, sed ne recte quidem potest iis conciliari, quae v. 6. leguntur: ὡς οὖν ἤκουσεν ὅτι ἀσθενεῖ, τότε μὲν ἔμεινεν ἐν ᾧ ἦν τόπῳ δύο ἡμέρας.

eo ipso temporis momento, quo Iesus sepulcrum intraret, vi vitali iterum excitata, reuixisse. Quodsi hos interpretes sequamur, possit omnino illud Christi effatum (v. 4. obuium) ab omni erroris suspicione liberari et cum ipso euentu ita conciliari, vt Seruatorem partim *negasse* censeamus, aegritudinem, qua amicus decumberet, veram mortem ei allaturam, partim *adfirmasse*, cum Dei gloriam, tum suam dignitatem Messianam ex ipsa Lazari sanatione apparituram. Quanquam interpretes illi eruditissimi suam de obitu Lazari specioso coniecturam ita defendunt, vt probabilitatem ei conciliare videantur, neque facto narrato vim et efficaciam, qua dignitati et auctoritati Iesu Christi declarandae inseruire possit, omnino detrahant (agnoscunt quippe prouidentiam diuinam, in ipsa ratione, qua Lazarus ex altissimo sopore s. animi deliquio in sepulcro fuerit excitatus, moderanda et gubernanda egregie conspicuam); ingenue tamen confiteor, mihi quidem, iis, quae V. Paulus et Gablerus acute disputauerint, iterum iterumque perlustratis, etiamnum plura obstare dubia, quae impediant, quominus antiquiorem totius narrationis interpretationem, *de vera morte et resuscitatione proprie ita dicta* cogitantem, aliis quoque Theologorum recentiorum [14]) probatam, eorumque stu-

14) Cfr. *Russwurm* commentatio: Lazarus, in B. Henkii promtuario; *Museum für Religionswissenschaften etc. 2ten*

diis vindicatam, derelinquere constituam. Nolim equidem, antiquioris sententiae defendendae necessitatem demonstraturus, ad v. 17. et v. 39. prouocare (etsi mihi persuasissimum habeam, veri aliquid vidisse illius sententiae fautores, qui vtriusque commatis vsum facerent.) Quemadmodum enim iis, qui argumentum, quo probetur, Lazarum re vera obiisse, inde petunt, quod v. 17. iam quartum diem egisse dicatur in sepulcro reconditus, exempla opponi solent hominum, quorum syncope vel aeque diuturna fuerit, vel diutius durauerit (cfr. Loefleri comment. de iis, qui inter gentes in vitam rediisse perhibentur, Lipsiae, 1694.); ita, quod Martha (v. 39.) Iesum, sepulcrum aperiri iubentem, quocatura verbis admonet: κύριε, ἤδη ὄζει, ad solam Marthae coniecturam referunt, ex iis oriundam, quae in mortuis iam per plures dies sepulcro re-

---

Bandes 1stes Stück. Clar. *Heubneri* epimetron, quo historia Lazari a Iesu in vitam reuocati vindicatur, additum eiusdem commentationi: miraculorum ab Euangelistis narratorum interpretatio grammatico-historica asserta etc. Viteb. 1807. *Sauppe* obseruationes super historia Lazari in vitam per Iesum reuocati. Dresdae, 1808. *Flatt* etwas zur Vertheidigung des Wunders der Wiederbelebung des Lazarus in *Süskind* Magazin für christliche Dogmatik und Moral 14. Stück. *Schultheß*: die Gewissheit der Schrifterklärung, erprobt an der Erzählung von der Wiederbelebung des Lazarus, Zürich, 1808. *Besenbeck* Lazarus, oder über das Unstatthafte der natürlichen Erklärungen der Wundergeschichten im N. T. Erlangen, 1810. 8. V. *Kuinoelii* comment. in euang. Io. p. 472. sqq.

conditis plerumque locum habeant. Liceat quidem, si quis de indole ac pretio prioris argumenti cum aduersariis disceptare voluerit, haud inepte quaestionem mouere: an illa mortis speciosae tam diuturnae exempla satis explorata sint? atque, num tale euentum in illa potissimum calida Orientis regione accidisse satis probabiliter existimetur? Sed nolumus haec vrgere. Concedamus, narrationem Ioanneam nulla continere vestigia, vnde medicis rationibus in auxilium vocandis adfirmare et comprobare liceat, mortem Lazari vel veram fuisse vel speciosam. Ingrediamur viam tutiorem, animum ad ea aduertentes, quae Iesum ipsum hac de re aperte profitentem audiamus. Discimus quippe e v. 11 sqq. Seruatorem, elapso biduo (ex quo nuntium de morbo amici accepisset), quum iam consilium declarasset in Iudaeam reuertendi (v. 7.) refutatis discipulorum dubitationibus, obitum Lazari iis aperte significasse. Ac primum quidem discipulos ita hac de re edocuit, vt verbis vteretur tropicis, euphemismum illum omnibus fere linguis familiarem, mortem somno comparantem, continentibus (v. 11.): λάζαρος ὁ φίλος ἡμῶν κεκοίμηται· ἀλλὰ πορεύομαι, ἵνα ἐξυπνίσω αὐτόν: Lazarus, amicus noster, obdormiit; proficiscar eum excitaturus. Malebat Iesus acerbitatem nuntii de iis, quae amico dilecto euenissent, imagine placida et molli mitigare, quam sermone proprio rem ipsam eloqui. Discipuli vero, illius effati superioris (v. 4.) memores, quo Christus negasse videbatur, Lazarum diem esse

obiturum, quum verba magiſtri de ſomno proprie ita dicto interpretati fuiſſent, ideoque (v. 12.) ſpem laetam concepiſſent, Lazarum ſaluberrima huius ſomni recreatione conualiturum; Ieſus (v. 14.) errorem emendaſſe dicitur, haec palam profeſſus: Λάζαρος ἀπέθανε! Licetne amplius dubitare, voluiſſe Ieſum de vero Lazari obitu cogitari[15])? An Seruatorem aliter iudicaſſe, aliter dixiſſe ſuſpicabimur, perſuaſurum diſcipulis veram Lazari mortem, ipſi non perſuaſam? Abſit, vt de conſilio et mente Seruatoris, cuius et dicta et facta omnia ſummam ſpirent veracitatem, ab omni fraude et ſimulatione remotiſſimam, eiusmodi iudicium proferamus tam, ineptum quam inpium! Neque me haec disputantem dubitatio mouet a nonnullis recentiorum interpretum excitata, num Ioannes verba Chriſti illo tempore pronuntiata accurate attulerit, neque potius (memoria deceptus), quae Ieſus ambiguitate quadam fuiſſet eloquutus, in effata conuerterit magis perſpicua ac definita, iisdemque nonnulla addiderit, ſuae verborum Seruatoris interpretationi ex euentu oriundae conſentanea? Quo minus enim eiusmodi ſuſpicioni indulgeamus, cum tota prohibet euangelii Ioannei indoles, ſcriptorem arguens veracem, fidum, ſo-

15) Videmus Ieſum h. l. eadem perſpicuitate profitentem, Lazarum veram ſubiiſſe mortem, qua alio tempore et loco, Iairi filiam vitae reſtituturus (Marci 5, 39. Matth. 9, 24.) adfirmauerat, virginem non eſſe mortuam, ſed obdormiiſſe.

brium, neque proprio ingenio atque arbitrio ea fingentem, quae ipse a rebus vere gestis dictisque vere pronuntiatis distinguere nequeat, immo potius ab ipso facto vel effato, quod enarrat, iudicium suum accuratius, quam in ceteris euangelistarum commentariis fieri solet, discernentem, tum diligentia veri studiosa in hac potissimum resuscitationis Lazari historia egregie conspicua. Quemadmodum igitur, rationibus allatis ductus, mihi persuasissimum habeo, Seruatorem, quum discipulis nuntiaret, quae Lazaro euenissent, de vero amici obitu et ipsum cogitasse, et cogitari voluisse; ita eodem iure adfirmare mihi videor, Iesum futurum illum amici obitum iam eo tempore praeuidere potuisse, quo, aegritudinis Lazari certior factus palam negaret (v. 4.) morbum illum esse προς θανατον. Etenim, quum praeter illum nuntium a sororibus Lazari missum (v. 3.) qui Seruatori morbum amici indicasse dicitur, alius commemoretur nullus, qui postea de obitu Lazari Iesum certiorem reddiderit, tota profecto Ioannis narratio declarat, Iesum amici mortem, quam, biduo elapso, Bethaniam profecturus, discipulis ipse nuntiaret, *sponte* habuisse cognitam. Verum enim uero, qui, mortuo Lazaro, huius euenti notitia sponte gaudebat, nullo rei nuntio accepto, idem profecto obitum eius instantem praeuidere potuit (cfr. Sauppii commentatio laud. p. 11 ff.) neque verbis ab eiusmodi viro pronuntiatis talem licet repugnantiam tribuere, qualis illa esset,

qua Iesu Christi effata laborarent, si quis priora v. 4. verba sensu proprio interpretatus Iesum simpliciter negasse diceret, amicum aegrotantem diem esse obiturum. Immo patet ex omnibus hucusque disputatis, Seruatorem verba: αυτη η ασθενεια ουκ εστι προς θανατον, hac mente pronuntiasse, vt tecte [16])

16) Quantum equidem video, consulto Iesus partim h. l. vbi ad nuntium a sororibus Lazari missum sese conuertit, partim infra v. 23. 25. vbi Martham alloquitur, ambiguitate quadam orationis vtitur, ita vt resuscitationem Lazari prope instantem, qua huic ipsi vitae terrestri mox reddendus sit, magis innuat, aliisque formulis circumscribat, quam perspicue eloquatur. Nequeo adsentiri Sauppio in comment. laud. p. 21. adfirmanti, verbis Christi v. 23. ad Martham pronuntiatis: ἀναστήσεται ὁ ἀδελφός σου, luculentam contineri Iesu Christi promissionem, Lazarum mox vitae restitutum iri. Immo, quum phrasis notissima: αναστηναι εκ των νεκρων de resurrectione mortuorum *olim futura* adhiberi soleat, quam Iudaei, aetate Iesu viuentes, sub finem huius saeculi, quando Messias apparuerit, euenturam exspectabant; facile intelligimus, vnde factum sit, vt Martha, etsi initio, postquam Christus aduenerat, laetabunda spem iucundam concepisset, fratrem dilectum *confestim* a Seruatore resuscitatum iri, postea tamen, quum Iesus cunctari videretur, neque statim aperte promitteret, se *hoc ipso tempore* Lazarum in vitam esse reuocaturum, dubia fieret, et verba Christi de illa potius *olim* futura mortuorum restitutione interpretaretur, haec respondens v. 24: οἶδα, ὅτι ἀναστήσεται ἐν τῇ ἀναστάσει, ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. Videtur Martha effatum Christi (v. 23.) ita cepisse, tanquam si hoc solatio eam erigere voluerit: recte mihi confidis, verissima est persuasio tua, me, quae petierim a Deo inpetraturum; neque euentus tuam fallet fiduciam; profecto enim hoc a Deo inpetrabo, vt tuus quoque frater (olim) e mortuis in vitam re-

innueret, *Lazarum mox e mortuis in vitam iri reuocatum* (ideoque mortem eius instantem pro nulla esse habendam.) Quae quum ita sint, eodem iure mihi adfirmare videor, Iesum, dum ea adderet, quae v. 4. sequuntur: αλλ' ὑπερ της δοξης του θεου etc. *immo in Dei gloriam cedet* (aegritudo Lazari) *vt filii Dei maiestas per eam conspicua reddatur*, hoc sibi voluisse: *immisit Deus Lazaro morbum letalem, quo praestantior mihi opportunitas contingeret, illo e mortuis resuscitando* (facto insigni edendo et prorsus extraordinario) *cum summam Dei* (του ζωοποιουντος τους νεκρους, Romm. 4, 17.) *potentiam reddendi conspicuam, tum meae dignitatis Messianae atque auxilii diuini me iuuan-*

---

deat. Teneamus modo, persuasionem de communi mortuorum omnium resurrectione nequaquam fuisse inter omnes Iudaeos aetate Christi viuentes diuulgatam, immo haud paucos de eo certe dubios haesitasse atque suspensos, num *omnes* omnino olim e mortuis in vitam essent redituri. Neque sequentia Seruatoris verba v. 25. 26. ἐγω ειμι ἡ ἀναστασις και ἡ ζωη etc. luculentissimam resuscitationis Lazari proxime futurae promissionem continere dixerim. Audimus quippe Iesum Io. 5, 24 ff. 6, 39. 40. partim iisdem, partim similibus verbis prouinciam commemorantem, sibi a Deo patre demandatam, mortuos (olim) in vitam reuocandi, hominesque probos felicitate futura donandi. Huius autem ambiguitatis, qua Iesus locis laudatis Lazari reditum in vitam proxime instantem innuit, ratio et causa mihi quidem ex illo Seruatoris studio videtur repetenda, cuius vestigia plura in euangeliis deprehendimus (v. c. Matth. 15, 22—28.) subinde vim et efficaciam fiduciae in ipso collocandae tentandi atque explorandi.

tis documentum exhibendi luculentissimum. (Verbis similibus Io. 9, 3. morbum hominis coeci, ipsius beneficio sanandi, eo spectare ostendit, vt summa Dei efficacia fiat manifesta.) Qui negant, Seruatorem spem aluisse certam, Lazarum in hanc terrestrem vitam reuocandi, inprimis eo prouocant, quod Iesus, quum Mariam, eiusque comites mortem Lazari acerbe vidisset deplorantes, atque sepulcrum esset aditurus, ipse, animo vehementer commotus et perturbatus, lacrymatus esse dicatur v. 33. 38. Quaesiuerunt enim, quomodo tandem fieri potuerit, vt obitus Lazari tanto eum adficeret luctu ac dolore, si reditus mortui in vitam proxime instans ipsi iam certo fuisset cognitus atque exploratus? Cuius argumenti vim ingenue confiteor meo quidem iudicio propterea non satisfacere, quod aliam proferre liceat lacrymarum Iesu Christi causam psychologicam, per ipsam totius euenti naturam nobis suppeditatam, quam, ni fallor, Euangelista verbis v. 33. ἰησοῦς οὖν ὡς εἶδεν αὐτὴν κλαίουσαν haud obscure significauerit. Tangebatur Iesus, quum sorores Lazari eiusdemque cognatos et amicos mortem hominis, quem ipse haud parum amauerat (v. 5.) acerbe vidisset deplorantes, eo misericordiae ac doloris sensu, qui facile subit animum hominis, alienum luctum suum existimantis, mitem ac humanum (etsi probe nosset et praeuideat, fore, vt causa luctus breui euanescat.) Accedebat, opinor, quod eodem tempore laetitiam praesentiebat, quam resuscitatio La-

zari inter amicos et cognatos excitatura esset. Quis est, quem fugiat, haud raro eam esse laetitiae (illius potissimum, quae dolorem animi sequatur, et veluti cum dolore pugnet) indolem atque naturam, quae homini lacrymas possit extorquere? Denique e nexu v. 37. et 38. haud inepte mihi colligere videor, animum Christi insuper Iudaeorum quorundam vocibus et vituperiis (aegre ferentium, quod, qui nuperrime coeco visum restituisset, Lazaro aegrotanti nullum tulerit auxilium) haud parum fuisse perturbatum. Agitabatur Iesus eo diuersissimorum animi adfectuum certamine, quo satis idoneam dixerim rationem et causam contineri, quae lacrymis Christi explicandis ita inseruiat, vt nihil profecto interpretem suspicari iubeat, Seruatorem de resuscitatione Lazari etiamnum dubium fuisse atque haesitantem. Ceterum repetere nolo, quod iam alii interpretes acute monuerunt, illam Iesu Christi tarditatem, qua, nuntio de morbo Lazari accepto per biduum integrum in ea regione, quam cum discipulis adierat, commoratus fuerit, neque defendi posse, neque cum humanitate Seruatoris aliunde cognita, ad auxilium adflictis ferendum paratissima, conciliari, nisi eum iam certo cognitum habuisse concedamus, Lazarum ipsius beneficio vitae iri restitutum. Eadem persuasione ductus atque fiducia firma in auxilio diuino collocata, v. 15. postquam obitum Lazari discipulis aperte significauerat, haec addidit: καὶ χαίρω δι ὑμᾶς, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ. In promtu est, verbis

Christi traiectionem inesse grammaticam, quum ipsa notionum singularum indoles atque series talem verborum ordinem exigeret: καὶ χαίρω, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ, δι' ὑμᾶς, ἵνα πιστεύσητε. Quodsi in sententia Christi accuratius definienda V. Paulum (in comment. p. 559.) sequamur, Iesus verbis laudatis adfirmasse existimandus est, se propter discipulos laetari, quod Lazaro moriente non fuerit Bethaniae, quum, si Lazarus, ipso praesente, diem obiisset, omnino metuendum fuisset, ne forte ea discipulorum fiducia labefactaretur, qua ipsi indigerent aegrotos sanaturi. Qua quidem interpretatione commemoranda effatum Christi v. 15. obuium persuasioni suae (supra paucis declaratae) conciliare voluit, qua Iesum, accepto nuntio de Lazaro aegrotante, neque obitum eius praeuidisse, neque certam spem reditus Lazari in vitam proxime instantis animo concepisse iudicat. Sed quemadmodum rationibus supra allatis ductus huic persuasioni meum calculum addere nequeo; ita verba v. 15. alio plane sensu duco explicanda. Patet iam ex iis, quae Iesus supra v. 4. de euentu morbi, quo Lazarus decumbebat, ad dignitatem filii Dei (suam dignitatem) declarandam spectaturo monuerat, sub illa fiducia, quam v. 15. verbo πιστευειν innuat, rectius intelligi fiduciam in diuina Iesu Christi auctoritate et auxilio diuino eum iuuante collocandam; ita vt sententiam effati: καὶ χαίρω etc. hac ratione constitui oporteat: *Vestra causa laetor, quod, moriente Lazaro, non fuerim*

Bethaniae, quum, illo iam mortuo, opportunitas mihi contingat, resuscitando Lazaro fiduciam vestram in me collocandam (vestram de δοξα mea persuasionem) egregie confirmandi[17]). Praecipue

17) V. Langius in comment. ad Io. p. 319. (si recte eius verba intelligo) Seruatorem h. l. non tam de facto insigni cogitasse existimat, quod resuscitando Lazaro editurus esset, quam de alio auctoritatis suae documento, inde petendo, quod, etsi nemo eum mortis Lazari certiorem reddiderit, tamen, amicum diem obiisse, sponte sciat, suisque discipulis possit nuntiare. In illa quippe effati nostri interpretatione, quam supra commendauimus, plerisque probata, V. Langium hoc potissimum male habet, quod Iesus, si verba eius hoc sensu fuerint intellecta, haec pronuntiasse videatur, tanquam si Lazarus *mori omnino non potuisset, si ipse fuisset Bethaniae.* (*Durch seine bloße Gegenwart*, ait Langius, *hätte ihn Jesus doch nicht beim Leben erhalten, und, wollte er ihn auferwecken, so konnte er ihn ja eben so gut sterben lassen, wie er izt gestorben war.*) Quantum equidem sentio, Iesus accepto nuntio de Lazaro aegrotante, probe praeuidebat, fore vt, si ipse confestim Bethaniam adiisset, amico etiamnum in vita versante, sorores vna cum ceteris Lazari cognatis et amicis ipsum pro vita eius seruanda iis implorarent precibus, quibus resistere non posset, nisi animo suo amicitiam spiranti tenerrimam et humanitatem veluti vim inferre, ceterisque admodum durus et omni misericordiae sensu destitutus apparere voluisset. Quas quidem angustias honeste euitaturus eo loco, quo tum versabatur, per biduum commorari constituit, neque prius Bethaniam adire, quam Lazarus diem obiisset. His concessis nihil est, quod nos iubeat vulgarem illam de sensu effati a Christo pronuntiati sententiam relinquere (quam insuper verbis video confirmatam infra sequentibus, satis aperte declarantibus, voluisse Seruatorem *ipsam Lazari resuscitationem* documento inseruire auctoritatis suae luculentissimo, quo fiducia hominum in eo ponenda stabiliatur atque confirmetur.)

vero ad rem nostram faciunt, quae v. 40. 41. 42. a Iesu pronuntiata legimus. Quum Martha Iesum, ad sepulcrum Lazari propius accedentem, et lapidem, qui sepulcro fuerat inpositus, remoueri iubentem, verbis arcere voluisset eiusmodi molimen prorsus inutile et superuacaneum declarantibus (:domine, iam foetet; nam per quatriduum in sepulcro versatus est); Iesus v. 40. mulierem dubitantem his monendis notasse atque ad fiduciam maiorem excitasse dicitur: οὐκ εἶπον σοι, ὅτι, ἐὰν πιστεύσῃς, ὄψει τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ; nonne tibi iam significaui fore, vt, si modo fidem habueris, diuinae maiestatis documentum videas? Difficultatem aliquam interpreti creat, quod Iesum h. l. Marthae eiusmodi effatum in memoriam vidimus reuocantem, quod (si quis verba ponderauerit) in antecedentibus omnino desiderari videatur. Prodierunt inde singulares V. Pauli et Gableri coniecturae, quum ille quidem (in comment. p. 574.) Seruatorem de alio quodam sermone cogitasse existimet, nobis deperdito, quo Martham alio tempore vniuerse docuerit, beatum fore, qui in Deo fiduciam summam reponat atque inconcussam, hic vero (in comment. supra laud.) totam formulam: οὐκ εἶπον σοι phrasi comparet hebraicae: אִם לֹא אָמַרְתִּי לָךְ, interdum simpliciter veritatem eorum, quae dicantur, adfirmanti, ita vt hebr. אִם לֹא vices gerat voculae הֵן (sanctissime tibi iam adfirmo.) Lubentissime equidem ad partes V. Gableri accederem, si modo vllum suppeteret exemplum in libris N. T. obuium, quo doceri posset, hebraicum illum dicendi vsum ratiorem in sermonem N. T. transiisse. Cuius rei argu-

menta philologica quum deficere intelligam, malim profecto concedere, Seruatorem v. 40. ad ea respexisse, quae eundem supra v. 23. 25. 26. ad Martham loquentem audiuimus. Vtrumque enim effatum ab altero, ni omnia me fallunt, verbis potius differt, quam sententia primaria atque consilio. Quemadmodum Iesus supra vniuerse adfirmauerat, eum fore felicem, et vita vera gauisurum, qui fidem sibi habuerit, ita iam hanc πιστεως laudationem ad casum praesentem transfert (ad Martham eiusque animi votum ac desiderium, fratris dilecti iactura excitatum); et, quod supra sermone proprio adfirmauerat: αναστησεται ο αδελφος σου, idem iam verbis circumscribit, quae Marthae spem laetam faciunt, fore, vt insigne videat maiestatis ac potentiae diuinae documentum (resuscitando Lazaro edendum.) Lapide sepulcri iam sublato Iesus in coelum suspexisse atque his verbis ad Deum patrem se conuertisse dicitur (v. 41. 42.): πατερ, ευχαριστω σοι, ὅτι ἤκουσάς μου. ἐγὼ δὲ ἤδειν, ὅτι πάντοτέ μου ἀκούεις· ἀλλὰ διὰ τὸν ὄχλον τὸν περιεστῶτα εἶπον, ἵνα πιστεύσωσιν, ὅτι σὺ με ἀπέστειλας. Variis iterum interpretum coniecturis ansam praebuit illa, quae verbis Christi prioribus continetur, gratiarum actio. Vulgo enim e verbis infra v. 43. sequentibus (vbi Ioannes addit, Iesum, quum illam animi grati et pii professionem coram Deo exhibuisset, alta voce Lazarum iussisse sepulcro egredi) colligunt, Lazarum non prius e mortuis in vitam rediisse, quam Iesus verba illa a Ioanne notata pronuntiasset: λαζαρε, δευρο εξω. Quaeritur iam, quo tandem sensu v. 41. (antequam mortuus resuscitare-

tur) Deo iam gratias egerit, quod votis suis ac precibus beneuole satisfeciſſet? Quam quidem repugnantiae ſpeciem plurimos ita video remouentes, vt verba Chriſti: πατερ, ευχαριστω σοι etc. minime ad factum inſigne, quod Ieſus hoc ipſo tempore eſſet edi-turus, ſed ad alia diuini auxilii documenta, quae hucusque expertus fuiſſet, referenda exiſtiment. Repugnant his interpretibus verba Chriſti ſequentia: εγω δε ηδειν οτι παντοτε μου ακουεις; quae ita apparent ſubiuncta, atque per copulam δε prioribus nexa, vt inprimis vocula παντοτε ſumma perſpicuitate doceat, quae Ieſus antea animo grato profeſſus fuerit, non poſſe niſi de eo numinis diuini auxilio ei ſuppeditato intelligi, quo Lazari reſuſcitationem potentiſſime iuuerit. Proinde S. V. Paulo atque Gablero in eo quidem lubentiſſime adſentior, quod vulgarem illam effati interpretationem relinquendam exiſtimant; neque vero iis omni ex parte calculum addere poſſum, quae a duumuiris illis eruditiſſimis diſputata video. Vterque enim, illam gratiarum actionem veriſſime, opinor, de iis, quae eo ipſo tempore iam agebantur, interpretatus, nexum, quo verba Chriſti: πατερ, ευχαριστω σοι etc. rebus antea geſtis cohaereant, hoc fere modo explicuit. Poſtquam Ieſus ad ſepulcrum Lazari propius acceſſerat, lapide remoto, ipſe ſolus monumentum ſepulcrale introſpicit, videt Lazarum iam vitae reſtitutum, animo pio in coelum ſuſpicit, Deoque patri gratias agit, quippe qui contingere ſibi iuſſerit, quod intimo expetiiſſet animi deſiderio. Colligunt inde interpretes laudati, Lazarum non eſſe Ieſu

Christi beneficio vitae restitutum, sed sponte reuixisse (Deo quidem volente atque rem totam ita moderante, vt Lazarus eo ipso temporis momento, quo Iesus sepulcrum introspiceret, iam appareret vitae restitutus, vnde partim Seruatori ipsi, partim eiusdem discipulis atque sectatoribus nouum contingeret prouidentiae diuinae plane singularis testimonium, vota Christi eiusque spem laetissimam ipso euentu egregie comprobantis.) Aliam plane viam nuperrimus totius historiae de Lazaro in vitam reuocato interpres Sauppius (in comment. laud. p. 28 sqq.) ingressus est. Coniicit quippe e verbis Christi sequentibus: ἀλλὰ διὰ τὸν ὄχλον τὸν περιεστῶτα εἶπον ἵνα πιστεύσωσιν, ὅτι σὺ με ἀπέστειλας, illud εἶπον ad preces respicere, quas Iesus antea voce clara recitauerit, Deum inplorando, vt potestatem sibi concederet, Lazarum in vitam reuocandi. Quae quidem preces quum in antecedentibus omnino desiderentur, post verba (v. 41.): ὁ δὲ ἰησοῦς ἦρε τοὺς ὀφθαλμοὺς ἄνω καὶ εἶπε, nonnulla excidisse suspicatur, totumque locum hoc fere modo restituendum putat: „lapide sublato, Iesus, in coelum suspiciens, pater, inquit, vindica meam auctoritatem, Lazarumque in vitam restitue. Qui quum „reuixisset, denuo precatus est: pater, gratias „tibi ago, quod precibus meis locum dedisti. „Noueram quidem, te semper precanti mihi „annuere, sed propter multitudinem circumfusam haec loquutus (precatus) sum, vt crederet me esse abs te missum.“ Ingenue tamen profiteor, me parum confidere eiusmodi conaminibus remouendae difficultatis cuiusdam exegeticae, quae, nullis omnino codicum

aut verſionum veſtigiis praeeuntibus, de lacunis in textu obuiis interpretem cogitare iubeant. Liceat igitur meum ſubiicere de nexu, quo ſingula mihi cohaerere videantur, iudicium (ad ſententiam S. V. Pauli et Gableri propius accedens). Praeſtat, opinor, neque verba excogitare, quibus textum vulgarem ſupplendum iudicemus, neque ſubintelligendo et interpretando addere, quae in graecis deſiderentur, ſed ipſa ſcriptoris verba fide et accurate ſequi. Tacet Ioannes (id quod V. Paulus et Gablerus factum eſſe ponunt), Ieſum, lapide ſepulcri remoto, ſepulcrum introſpexiſſe et Lazarum iam reuiuiſcentem aut vitae reſtitutum deprehendiſſe. Simpliciter narrat, Seruatorem, oculis ad coelum ſublatis, haec dixiſſe: πατερ, ευχαριστω σοι etc. Iam vero cauſa nulla apparet idonea, quae interpretem iubeat narrationem Ioanneam additamentis propriis amplificare. Quum Ieſus, fiducia ſumma in auxilio diuino repoſita, certo noſſet, Lazarum iam reuiuiſcere, viuumque e ſepulcro eſſe proditurum, iure meritoque potuit, amoto ſepulcri lapide, etſi non introſpexiſſet, neque vidiſſet Lazarum, tamen animo grato Deum celebrare, qui deſiderio ſuo benigne ſatisfeciſſet[18]). Quam animi grati

18) Neque vero exinde, quod Lazarum iam reuiuiſcere coepiſſe concedimus, halitumque et motum recepiſſe, antequam Ieſus eum verbis: Λαζαρε, δευρο εξω, ſepulcro egredi iuberet, coniici velim, non poſſe reſuſcitationem Lazari inter opera Seruatoris referri inſignia. Etſi enim Ioannes non accuratius docuerit, quonam temporis momento mortuus in vitam redire coeperit; hoc tamen certum manet atque exploratum, euentum comprobaſſe, quod Ieſus et fieri voluiſſet,

professionem qua de causa palam exhibuerit, ipse docet verbis sequentibus hoc modo intelligendis: „probe quidem noui, te quouis tempore mihi „precanti annuere. (Minime hac mente palam „tibi gratias egi, tanquamsi antea dubius haesita„uerim, an, quae intimo animo desiderio expe„tiissem et futura nuntiassem, euentu esses com„probaturus.) Immo propter populum circum„stantem haec loquutus sum, vt sibi persuade„ret, me tuum esse legatum." Etenim, quum Iesus verbis: πατερ, ευχαριστω σοι etc. satis aperte declarasset, se partim (tacitis quidem animi votis) Deum inploraſſe, vt Lazarum iuberet vitae restitui, partim certo nosse atque praeuidere, votis suis ac precibus auxilium diuinum haudquaquam esse defuturum; non poterat non multitudo, quae adstabat, si ad verba Christi recte attendebat, eademque euentis comparabat confestim subsequentibus (v. 43. 44.) *documentum legationis Christi diuinae* agnoscere, *quod ex ipso Lazari in vitam reditu, a Seruatore non tantum precibus piis desiderato, sed etiam praenuntiato, summa perspicuitate debebat elucescere.* Proinde, ex mea quidem persuasione, a vero aberrarunt interpretes, qui eum loci illustrati vsum fecerunt, vt inde demonstrarent, Seruatorem ipsum non tam indolem factorum suorum internam (iis, tanquam σημειοις, propriam) quam animi sensum, quo facta illa ederet, legationi suae diuinae com-

et euenturum nuntiasset. Eadem est ratio aliorum, quae in euangeliis obueniunt, documentorum eximiae Iesu Christi auctoritatis, quae ita edidit, vt, quod fieri voluisset, atque futurum nuntiasset, euentu appareret comprobatum (v. c. Matth. 8, 5—13.)

probandae inſeruire voluiſſe. Solent quippe huius ſententiae fautores, cauſam ſuam argumentis ſingulis exegeticis defenſuri, inter alia eo prouocare, quod Ieſus v. 41. minime ex ipſa Lazari reſuſcitatione, tanquam *facto miraculoſo*, ſed ex illa animi pietate, quae e precibus ſuis ad Deum miſſis eluceſceret, legationis ſuae diuinae documentum apparere docuerit. Neque tamen intelligo, quo tandem ſenſu atque iure tali argumento vti potuerit? Niſi enim partim animi voto, quo Jeſus Lazari reditum in vitam deſiderabat, euentus re vera reſpondiſſet, partim hic euentus res geſta fuiſſet plane extraordinaria; nemo profecto e ſola animi pietate, quam preces Chriſti ad Deum miſſae arguebant, per ſe ſpectata diuinam eius auctoritatem potuiſſet agnoſcere [19]). Neque preces eſſe dixerim, quae v. 41. contineantur, immo ſolennem gratiarum actionem, e perſuaſione firma oriundam, quam Ieſus animo conceperat, Deum iam precibus ſuis beneuole annuiſſe. Quam gratiarum actionem, palam recitatam, minime ſolam quidem, et per ſe ſpectatam, ſed cum euentu ipſo, cuius cauſa Deo gratias agebat, comparatam, vim habere voluit, legationem ſuam diuinam multitudini congregatae perſuadendi; ſiquidem inde conſenſus eluceſceret, qui et preces pias, quibus auxilium diuinum inplorauerat, et firmam animi ſui de

19) Cfr. quae B. Storrius de loco noſtro ſcite monuit in comment.: *hat Jeſus ſeine Wunder für einen Beweis ſeiner göttlichen Sendung erklärt? in Flatt's Magazin für chriſtl. Dogmatik und Moral, 4tem Stück, S. 226 ff.*

illo Dei auxilio ipsi haudquaquam defuturo persuasionem inter atque euentum ipsum intercederet.

Exposuimus iam de vtroque illo effatorum Iesu Christi genere, quod plurimum valere diximus ad consilium, quo Iesus miracula ediderit, ex ipsius sermonibus recte cognoscendum. Liceat, peracta locorum singulorum interpretatione, paucis iterum complecti, quae hucusque, spectandis singulis, cognouimus. Volebat Iesus facta sua insignia documenta exstare atque criteria admodum luculenta, a Deo hominibus exhibita, veracitatis eorum, quae de prouincia sua dicebat Messiana, de coniunctione intima et plane singulari, ipsum inter Deumque patrem intercedente, atque auxilio insigni, quo gaudebat, diuino, de potestate sua atque consilio hominibus auxilio benefico succurrendi, peccatorum veniam largiendi, bona praestantissima procurandi, de regno diuino proxime instante. Debebant quippe facta illa homines, eadem recte perpendentes, neque opinionibus praeconceptis indulgentes, et cupide iudicantes, ad Deum conuertere sapientissimum, qui Iesum docentem, aliquid expetentem, futura nuntiantem, agentem, potentissime adiuuabat, atque saluti humanae per Christum egregie consulebat. Aeque tamen intelleximus, Seruatorem ipsum hisce factis insignibus minime eiusmodi pretium tribuisse, vt totam de dignitate sua et auctoritate persuasionem a solis miraculis pendere voluerit, neque alia huius rei criteria vel aeque grauia vel grauiora iudicauerit. Audiuimus, Iesum eodem loco, quo discipulos Ioannis baptistae, ipsum

interrogantes: vtrum re vera esset Messias promissus? an alius exspectandus? ad facta sua ablegabat insignia, etiam assiduitatem atque curam diligentem, qua regnum diuinum proxime instans nuntiabat, tradebatque salutarem de eo doctrinam, inter signa (documenta) auctoritatis suae Messianae referentem (Matth. 11, 2—6. cfr. §. 4.); audiuimus eum haud obscure declarantem, se factis insignibus eam fiduciam in veritate eorum, quae de auctoritate sua et dignitate enuntiauerat, reponendam, quae *iam per ipsos sermones suos* excitari posset atque deberet, voluisse *adiuuare*, hominibusque *viam et aditum parare* ad illam de diuina causae suae et doctrinae auctoritate persuasionem, quae ex ipsa huius doctrinae efficacia saluberrima, quo diutius eam homo experiatur, eo certior prodeat atque efflorescat (Io. 14, 10. 11. cfr. §. 7. Io. 15, 24. §. 8. Io. 6, 26 ff. §. 6.); audiuimus denique aperte profitentem, factis illis, quae inter homines (in terra) ediderit, alia quaedam ἔργα esse grauiora, quae olim valitura sint ad auctoritatem factorum suorum diuinam contra pertinacissimos quoque aduersarios defendendam (Io. c. 5. §. 9.)

Restat iam, vt iis breuiter respondeam, qui sententiam contrariam ex aliis Christi effatis elucescere existiment.

§. 16.

Ac *primum* quidem, qui negant,[20]) Christum miraculis suis (tanquam miraculis) ea,

20) In his argumentis pertractandis praecipue elaborarunt V. *Paulus*: auch etwas über die Absicht der Wunderthaten

quae diximus, pobari voluiſſe, monuerunt, *eum ſubinde nihil dixiſſe de factis illis extraordinariis, etſi opportunitas idonea ipſi oblata fuiſſet, ad miracula ſua prouocandi.* Jo. ev. c. 2. v. 18. 19. c. 5. c. 6. v. 30 ſqq. c. 7. Matth. 12, 10 — 12. 21, 23. ſqq. Luc. 13, 15. ſqq. 14, 5. Miſſa facere liceat effata, quae ex Jo. c. 5. et c. 6. v. 30. ſqq. laudauerunt, ſiquidem de vtroque loco in commentatione mea *prima* de conſilio, quo Jeſus miracula edidit, ex ipſius ſermonibus recte cognoſcendo, §. 9. et §. 6. ita diſſerui, vt, quid ex vtroque colligi recte poſſit atque debeat, accuratius oſtenderem. Quod vero locum Jo. ev. 2, 18. 19. attinet, *Eckermannum* potiſſimum in comment. infra laud. eo prouocantem video, quod Jeſus, poſtquam Judaei ex eo quaeſiuerant, quo tandem documento externo (σημειω) probare poſſet, auctoritatem ſibi ac poteſtatem competere, argentarios et columbarum venditores ex templo amouendi, Judaeos minime ad miracula ab ipſo edenda, ſed ad naturam et efficaciam doctrinae ſuae probe obſeruandam ablegauerit. Verbis enim Chriſti

---

Jeſu, im neuen theologiſchen Journal, Jahrgang 1797. 4. Stück und 5. Stück, atque *Eckermann*: theologiſche Beyträge 5. B. 2. Stück. Cfr. item V. *Nitzſch* commentatio: quantum Jeſus miraculis tribuerit? Viteb. 1796. 4. Plura his oppoſuit B. *Storr*: hat Jeſus ſeine Wunder für einen Beweis ſeiner göttlichen Sendung erklärt? in diario *Flattii*: Magazin für chriſtliche Dogmatik und Moral 4. Stück und 2 Stück. S. 80. ſeqq. itemque ipſe *Flattius*: philoſophiſche und hiſtoriſch-exegetiſche Bemerkungen über die Wunder Chriſti, im Magazin für chriſtliche Dogmatik und Moral, 3. Stück.

v. 19. λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν hunc ſenſum vindicat: deſtruite ipſi veſtram religionis oeconomiam! Breui tempore elapſo aliam, eamque perfectiorem inſtituam. Quanquam olim ipſe hanc interpretationem probaueram, cuius defenſores recte monuerunt, ναον ſynecdochice pro tota religionis oeconomia dici potuiſſe, verbumque λυειν ſaepius notionem abrogandi aliquid, vi ſua et auctoritate priuandi exprimere (Matth. 5, 19. Jo. 5, 18); duplici tamen ratione, loco Jo. iterum iterumque perluſtrato, impedior, quo minus ſententiae horum interpretum calculum addere pergam. Primum quippe, ni omnia me fallunt, reſponſum Jeſu Chriſti, hoc ſenſu intellectum quaeſtioni, quam Judaei excitauerant, parum foret accommodatum. Quum Judaei poſtulaſſent, vt Jeſus documentum inſigne externum ſuppeditaret, quo conſtaret, auctoritatem ei competere, aliquid emendandi vel abrogandi, quod ad cultum ſacrum pertineret (quale fuit, quod Chriſtus v. 15. 16. feciſſe traditur); non potuit iis haec reſpondere: ecce documentum, quod vobis exhibeam, tollite praeſentem ſacrorum veſtrorum oeconomiam, intra triduum (breui temporis ſpatio) meliorem inſtituam. Nonne enim Judaei, quales illi fuerunt, his dictis, nouam quaeſtionem mouere potuiſſent atque debuiſſent de auctoritate Chriſto conceſſa talia faciendi? Deinde parum probabile eſt, Seruatorem illo tempore, *initio ſui docendi muneris*, de oeconomia cultus ſacri Moſaici plane abroganda, palam coram Judaeis eſſe loquutum. Cognoſcimus enim ex aliis euangeliorum locis (v. c. Matth. 5, 17. ſqq.) quam caute et ſollicite

Christus, sapientia egregia vsus, initio vitae suae publicae hanc doctrinam tractauerit [21]). Proinde ex mea quidem persuasione viam ingrediuntur tutissimam, qui Ioannem ipsum sequuntur verborum Christi interpretem, v. 21. docentem, Christum sub templo *suum ipsius corpus* intellexisse, atque de resurrectione sua olim futura cogitasse. Nouimus enim, quam assiduum Christus comitem habuerit Ioannem, quam attente dicta et facta Christi obseruauerit, quantopere ei propter suam animi indolem fuerit dilectus. Audimus insuper Ioannem h. l. verba Christi eo tempore enarrantem et interpretantem, quo satis diu sermones doctoris animo recondiderat, atque per ipsa eius fata de indole et sensu verborum totiusque doctrinae Christi, moderante spiritu diuino, vbe-

---

21) De variis huius effati explicandi tentaminibus, ab ea interpretatione, quam ipse Ioannes euangelista v. 21. exhibuit, deflectentibus cfr. *Paulus* in comment. ad h. l. *Henke* in progr. Ioannes nonnullorum Iesu apophthegmatum in euangelio suo ipse interpres, in *Pottii* sylloge commentatt. theoll. Vol. I. *Gurlitt* explicatio ev. Io. c. 1. v. 15—3, 13. Hamburgi, 1805. *Forberg* animaduerss. in loca selecta N. T. spec. I. Ienae, 1797. 4. Quibusnam vero difficultatibus haec omnia interpretandi tentamina sint obnoxia, probe docuerunt *Cramer*: animaduersiones in locum Io. 2, 19. ff. in *Pottii* sylloge Vol. I. *Flatt* symbolae ad illustranda quaedam grauiora Iesu dicta in ev. Io. obuia partic. I. *Fritzsch* de sensu verborum Christi Io. 2, 19. Lipsiae, 1803. 4. *Borger* in libro: commentationes de ev. Io. cum euangeliis Matthaei, Marci, et Lucae comparato, parte I. Lugduni Batauorum et Hagae Comitum, 1816. 8. p. 79 sqq. et V. *Kuinoel* in comment. ad h. l.

rius fuerat edoctus. Neque huic interpretationi aliquid obstare video. Ipsa quippe metaphora templi ad hominem, in quo sensus diuinus s. spiritus dei vim suam exserat, translati ab vsu loquendi non abhorret. cfr. 1 ad Corinthii 3, 16. 17. 6, 19. 2 Corr. 6, 16. (cfr. Platonis symposium c. 52. ed. Wolf.) An forte Iesum, de resurrectione sua cogitantem, iusto obscurius ita loquutum esse censeamus? Nonne vero gestu et nutu indicare potuit, quo sensu dixerit: τουτον τον ναον? Nonne alia docent huius potissimum euangelii effata, eum subinde auditoribus suis eiusmodi dicta proposuisse aenigmatica, quo facilius animos redderet attentos, et ad meditationem excitaret propriam? Discipuli quidem Seruatoris, quanquam Iesum intellexerant de corpore suo loquentem,[22]) nondum tamen persuadere sibi voluerunt, Iesum re vera esse morituum, sed verba eius hoc fere modo intellexisse videntur: si vos, Iudaei, me interficere volueritis, intra triduum hoc templum (corporis mei) instaurare possem. Quod vero Iudaei, de quibus v. 20. sermo est, effatum Christi sensu ceperint proprio, neminem potest mirum habere, si modo perpenderimus, partim facile fieri potuisse, vt auditores illi, Iesu loquente, paulo remotiores essent,

22) Ioannes ipse v. 22. *non* docet, discipulos Christi pariter atque ceteros Iudaeos verba eius olim sensu proprio esse interpretatos, immo, eos, postquam Iesus in vitam rediisset, illius dicti *recordatos*, de veracitate sermonum ipsius doctoris, atque oraculorum V. T. mortem et resurrectionem Messiae innuentium sibi persuasisse.

quum discipuli propius ad eum accessissent, ideoque ad gestum, quo Iesus δεικτικως dixisset: τουτον τον ναον, non attenderent, partim Iudaeos haud raro verba Christi consulto detorsisse, quo materiem haberent, eum criminandi atque accusandi. Ceterum interpretatio nostra loco Matthaei confirmatur simillimo c. 12. v. 38 Iqq. vbi Iesus Iudaeos, documentum externum auctoritatis eius postulantes, ad resurrectionem suam olim futuram ablegasse legitur. Audimus igitur Christum in ea quoque euangelii Joannis sectione, quam tetigimus, profecto ad σημειον grauissimum prouocantem. Quae vero causae eum mouerint, vt h. l. in hoc vno documento acquiesceret, neque ad facta sua insignia, daemonibus expellendis, aegrotis sanandis, omnimoque auxilio benefico iis, qui auxilio indigebant, ferendo edenda prouocaret, facile ex ipso tempore, quo haec loquutus est, atque totius narrationis nexu intelligimus. Vix enim coeperat palam prodire, et docendo et facta edendo insignia (cfr. Io. 2, 11.); loquebatur ad Iudaeos, de auctoritate, qua templum modo purgauerit, grauiter dubitantes, et odio atque inuidiae indulgentes, ita vt ipsa eorum hominum praesentia in animo Christi cogitationem mortis excitaret, quam olim, religione et veritate strenue defendenda, subiturus esset; ipsa denique templi, in quo versabatur, Hierosolymitani cogitatio facile eum a templo proprie sic dicto ad templum corporis sui, olim destruendum, mox instaurandum ducere potuit. Quod porro V. *Paulus* potissimum in comment. nota 20. laud. monuit, in eo sermone Christi, qui in ev. Io. c. 7. v. 16. 17. 18. depre-

henditur (vbi auctoritatem et originem doctrinae ſuae diuinam adfirmat) nihil dici de miraculis, hanc auctoritatem probantibus, ſententiae, quam defendimus, ideo opponi non poteſt, quod Iudaei illo loco ac tempore coram Ieſu congregati documenta veritatis eorum, quae dixerat, non poſtulauerant, neque omnino ex ſilentio, quo aliquod ſententiae noſtrae argumentum hoc vel illo loco ac tempore omittimus, colligere licet, non poſſe hoc argumentum aliis locis ac temporibus eodem iure ac pondere, quo alia, proferri.[23]) Neque eiusmodi documentum externum auctoritatis Chriſti Meſſianae loco Matth. c. 12. v. 11. ſeqq. deſiderari dixerim. Audimus ibi Iudaeos in conuentu ſacro, cui homo interfuit manu tabida laborans, Ieſu Chriſto quaeſtionem inſidioſam proponentes, num ſabbatho hominem ſanare liceret? Egregie reſpondet (v. 11. 12.), quum nemo dubitet, vnam ex ouibus ſuis, ſi forte die ſabbati in foueam delapſa fuerit, extrahere, multo magis licitum eſſe iudicandum, ſabbato hominem ſanare, qui multum praeſtet animalibus. His dictis hominem ſanauit. Nihil praeterea addidit, quo aduerſarios ex ipſo facto, quod modo edidiſſet, colligere iuberet, auctoritatem ſibi competere, die ſabbati talia faciendi. Teneamus vero, h. l. non de eo potiſſimum quaeſitum eſſe, an Ieſu tanquam Meſ-

23) Cfr. quae de loco Io. c. 7. et B. *Storrius* in comment. nota 20. laud. diſputauit, et ipſe monui in comment. mea exegetica de locis nonnullis ev. Io. Lipſiae, 1808. 4. quae hoc ipſo tempore, in opuſculis meis, additamentis aucta, recuſa eſt.

siae facere liceret, quae Iudaei illorum temporum haud pauci, traditiones Pharisaicas sequuti, die sabbati illicita pronuntiassent, sed quaestionem *vniuersam* excitatam esse, num *omnino* liceret sabbato hominem sanare (v. 10). Similis est ratio alius effati *Matth.* 21, 23. sqq. Synedrii assessoribus Iesum interrogantibus, quanam auctoritate in templo doceret? quis potestatem sic faciendi ei dedisset? ipse quaestionem proposuit, qua partim in angustias redigeret aduersarios, ipsisque suam inconstantiam, qua Ioanni baptistae, olim magnopere laudato et commendato, fidem et obsequium denegassent, tacite exprobraret, partim haud obscure innueret, doctrinam suam atque docendi prouinciam auctoritate gaudere diuina (v. 25.): habuitne lauacrum sacrum Ioannis auctoritatem diuinam an humanam? Noluit hoc tempore et loco aduersarios ad facta sua ablegare insignia auctoritatis suae diuinae documenta. Neque enim illi synedrii assessores de documentis huius rei quaesiuerant, sed Iesum simpliciter profiteri iusserant, vnde auctoritatem docendi accepisset (v. 23.), neque iuuabat, coram eiusmodi hominibus, qui Christo pertinaciter fidem denegabant, eiusque facta pessime criminabantur, etsi eum vidissent permulta facta edentem insignia, ad haec potissimum auctoritatis documenta prouocasse. In iis denique effatis, quae ex *ev. Lucae* 13, 15. sq. 14, 5. allata sunt, Seruator pariter atque loco Matth. supra paucis tractato (12, 11. ff.) ex ratione sana, humanitatis sensu communi, aliorumque factorum analogia tam egregie ostendit, haud illicitum esse, die sabbati hominem

ſanare, vt alia argumentatio, ex factis Chriſti inſignibus ducenda, qua probaretur, ipſi potiſſimum licere, die ſabbati valetudini hominis conſulere, omnino non deſideraretur.

§. 17.

Secundum genus effatorum, quibus aduerſarii ſententiae noſtrae vſi ſunt, ea complectitur effata, *vbi Chriſtus ipſe doceat, legationem ſuam diuinam ex aliis potius argumentis cognoſcendam eſſe, neque miraculis vim competere, fauorem diuinum, quo aliquis gaudeat, comprobandi hominesue emendandi.* Io. ev. 4, 48. Luc. 10, 20. 16, 27. ſqq. Apud Ioannem quippe l. l. aulico cuidam Herodis, Capernaumi verſanti, qui Ieſum precibus adierat, vt ſecum abiret, ipſiusque filium morbo letali decumbentem mortis periculo eriperet, haec reſpondiſſe legitur (priusquam auxilium ei ferendum promitteret): ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, οὐ μὴ πιστεύσητε: *niſi prodigia et portenta videritis, non mihi fidem habebitis.* Potuitne Chriſtus, inquiunt, maiori perſpicuitate adfirmare, eos homines temere iudicare, qui auctoritatem eius diuinam ex miraculis cognoſcere voluerint? Nolim quidem huic quaeſtioni eam opponere huius effati interpretationem, quam *B Storrius* in comment. nota 20. laud. amplexus eſt, quippe qui Ieſum verbis laudatis hominem illum aulicum ideo notaſſe exiſtimauit, quod fiducia parum firma vſus ipſum adiiſſet. Ingenue enim profiteor, neque v. 47. neque in commatibus ſeqq. vlla mihi apparere veſtigia, quae monſtrent, hominem illum de poteſtate Chriſti, auxilium ei ferendi,

dubium fuisse atque suspensum. Immo, quae Christus aulico respondet: ἐὰν μὴ etc. et ipsi dicit, et ceteris Galilaeis, qui initio Iesum docentem repudiauerant, postea vero, quum facta eius extraordinaria spectassent, de auctoritate eius sibi persuadere coeperant (v. 44. 45. coll. Luc. 4, 24.). Reprehendit homines, non, quod omnino miraculis Christi aliquam vim tribuerint, legationem eius diuinam declarandi, sed, quod doctrinam eius sine miraculis admittere prorsus noluerint, neque, illorum instar Samaritanorum, de quibus v. 41. sermo est, Messianam eius dignitatem ex ipsis sermonibus eluceſcentem agnouerint [24]). Eadem sapientia vsus in ev. *Lucae* c. 10. v. 20. cauere studet, ne discipuli sui eiusmodi factis plane insignibus, admirationem hominum excitantibus, pretium tribuant *nimium*. Etenim, quum septuaginta discipuli, quos emiserat, ad eum reuersi, laetabundi haec nuntiassent (v. 17.): domine, ipsi daemones nobis tua auctoritate obsequuntur (sanationes hominum daemoniacorum feliciter nobis succesſerunt, fiducia in tuo auxilio posita); Iesus ita respondit, vt partim adfirmaret, potestatem Satanae iam esse fractam, suosque discipulos de quibusuis Satanae moliminibus victoriam reportaturos, partim adderet (v. 20.) πλὴν ἐν τούτῳ μὴ χαίρετε ὅτι τὰ πνεύματα ὑμῖν ὑποτάσσεται· χαίρετε δὲ ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἐγράφη ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Docuitne his verbis, omnino non

24) Cfr. S. V. *Kuinoel* comment. ad h. l. Patet, ex hoc effato Seruatoris eadem sequi, quae in comment. antecedente §. 6. alius loci (Io. 6, 26. ſſ.) ope cognouerimus.

habere discipulos, quod laetentur de daemoniacis feliciter sanatis? Minime vero. Ipsa enim verba v. 18. 19. haud obscure animum declarant Seruatoris, laetitiam sanctam ex eo percipientem, quod opera Sanatae magis magisque destruantur. Neque quaeuis negatio absolute negat. Immo loquendi vsus profecto permittit, (cfr. quae S. V. *Kuinoel* et alii huius loci intt. probe obseruarunt) vt sententiam effati hoc modo constituamus: *non tam propterea laetemini, quod daemones vobis pareant, quam potius ea de causa, quod nomina vestra in coelo consignata sint*, i. e. quod iura ciuitatis coelestis acceperitis (nolite summam felicitatem vestram ac dignitatem in eo quaerere, quod facta edatis insignia, immo prae ceteris omnibus ad salutem aeternam, in regno diuino vobis paratam, animos conuertite.) An forte sermone Christi apud Lucam c. 16. v. 31. in parabola obuio miraculis vim probandi detrahi existimabimus? Inducit l. l. Abraamum in sedibus beatorum ad hominem diuitem, qui, in locum damnatorum delatus, ibique poenis cruciatus, Abraamum inplorauerat, vt Lazarum probum ad fratres eius in terra versantes mitteret, eosque resipiscere iuberet, ne ipsi, fratrem sequuti, in eundem locum cruciatuum deuenirent, ita loquentem: *si Mosi et prophetis obsequi noluerunt, nec, si quis e mortuis in vitam redierit, fidem ei habebunt.* Ex his omnino sequi docet *Eckermannus* in comment. not. 20. laud. euenta plane insignia (qualis sit hominis mortui reditus in terram) nihil facere ad animos emendandos. Recte quidem. Si quis omnem veritatis, probitatis, sanctitatis sensum exuerit, ad eamque animi peruersitatem

et pertinaciam delapsus fuerit, vt doctrinam a legatis [25]) diuinis traditam prorsus repudiaret, de eo vix sperandum est, fore vt eiusmodi euentu extraordinario spectando ad meliorem frugem reducatur. Nolim vero ex his colligere, facta insignia nihil docere et iuuare eum hominem, qui ad vitam probam atque doctrinam legati diuini, auctoritatem suam insuper miraculis comprobantis, animum probe attenderit.

§. 18.

Tertium locum ea teneant effata, ab aduersariis sententiae nostrae excitata, *vbi Christus eos homines reprehendat, qui miracula ab ipso edenda postulauerint aut exspectauerint.* Matth. 12, 38. sqq. 16, 1. sqq. Priori quidem loco legum doctores et Pharisaei Christum adeunt, his verbis vsi: *doctor, cupimus prodigium te auctore videre.* Postulasse eos non eiusmodi σημεια, qualia Christus, daemonibus expellendis, aliisque aegrotis a morbo liberandis, saepe iam edidisset, sed documenta, quae ipsi splendidiora existimarent, σημεῖον ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, phaenomenon insigne in aëre, nubibus, corporibus coelestibus edendum, ex locis similibus Marci 8, 11. Matth. 16, 1. Luc. 11, 16. recte colligimus. Respondet Jesus v. 39. 40: *gens peruersa et adulterina prodigium expetit; verum non dabitur, nisi simile ei, quod Ionae vati euenit. Quem-*

25) Vix est, quod moneam, Mosi et prophetis in libris et V. et N. T. constanter auctoritatem legatorum diuinorum vindicari, cum aliis rebus, tum miraculis illustratam.

admodum enim Ionas per tres dies totidemque noctes in ventre ceti verſatus eſt, ita hominis filius in gremio telluris per tres dies totidemque noctes cubabit. Quanquam verba v. 40 explicationem illius phraſeos (v. 39.) σημειον ιωνα ab ipſo Seruatore propoſitam eloquuntur, nonnulli tamen interpretum recentiorum in alias partes abierunt. Coniecerunt quippe V. *Paulus* in comment. ad h. l. et *Ekermannus* in comment. ſaepius laud. verſu 40. non verba Chriſti contineri, ſed interpretamentum vel ab ipſo euangelii auctore, vel ab eo, qui ſerius euangelium Matthaei tractauerit, aut graece transtulerit additum, ipſumque Chriſtum ſub illo σημειω ιωνα doctrinam Ionae intellexiſſe, quae Niniuitis argumento auctoritatis huius viri propheticae inſeruierit, eosque ad animum immutandum perduxerit. Defideramus vero argumenta huius coniecturae idonea, immo plura eademque grauiſſima his interpretibus doctiſſimis obſtare video. Quanquam Ieſus apud Lucam loco parall. 11, 29. 30. reſurrectionis ſuae futurae non iisdem verbis, quae apud Matth. leguntur, mentionem fecit, ſed minus definite loquutus eſt: καθὼς γὰρ ἐγένετο ἰωνᾶς σημεῖον τοῖς νινευῖταις, οὕτως ἔσται καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τῇ γενεᾷ ταύτῃ, nihil tamen verbis apud Lucam obuiis ineſſe video, quod cum ſermone Chriſti, qualem Matthaeus retulit, conciliari nequeat. Neminem fugit, vnum idemque effatum Seruatoris in diuerſis euangeliſtarum commentariis haud raro verbis tradi paululum mutatis, ita vt apud alterum quidem copioſius, apud alterum breuius et ſermone minus accurato propoſitum appareat. Offenderunt porro nonnulli interpretes cum Eker-

manno in illa temporis, quod hominis filius in gremio telluris transegiſſe dicitur, notatione (v. 40.) τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, quum ex ipſis euangeliis pateat, Ieſum per vnum tantum diem duasque noctes in ſepulcro cubuiſſe, et, quamuis conceſſum fuerit, Hebraeos interdum tempus incompletum pro completo poſuiſſe, et partem diei pro die integro, partemue noctis pro nocte integra habuiſſe (cfr. V. Kuinoel in comment. ad h. l.) etiamnum tamen parum recte pateat, quomodo Ieſus dicere potuerit, ſe *per* tres dies *totidemque* noctes in ſepulcro eſſe verſaturum, ſi numerum vrgere voluerimus. Quae quidem difficultas facile tollitur obſeruanda conſuetudine Hebraeorum, ſatis cognita, numerum rotundum (qualis eſt trium, ſeptem, quadraginta, centum dierum) pro alio magis definito adhibendi, vt vniuerſa temporis vel breuioris vel longioris notio exprimatur. Cauſa quippe, quae Chriſtum facile mouere potuit, vt de tribus maxime diebus totidemque noctibus in ſepulcro transigendis loqueretur, haud dubie haec fuit, quod Ionas, cuius fata Ieſus cum ſuis comparat, per totidem dies et noctes in monſtro marino iacuiſſe perhibetur.[26]) Neque in hoc dierum noctiumque nu-

26) Praeterea, ſi quam difficultatem in his verbis latere exiſtimaueris, ea profecto non tollitur coniectura nonnullis probata de origine verſus 40. ſeriori, id quod veriſſime V. *Süſskind* obſeruauit in promptuario: *Flatt* Magazin für chriſtliche Dogmatik 7. Stück., Tübingen, 1801. p. 226. nota.

mero partem principem totius comparationis versari putauerim. Immo consilium huius effati (v. 40.) primarium eo spectat, vt doceatur, hominis filium ex gremio telluris, breui temporis spatio interposito, pariter in vitam terrestrem esse rediturum, atque Ionas, ex ventre illius monstri, breui post in terram redierit. Monuerunt item, non intelligi, quomodo discipuli Christi, si h. l. resurrectionem suam futuram aperte nuntiasset, postea, Iesu moriente, animum abiicere potuerint, neque de reditu doctoris dilecti mox futuro cogitare? Verum enimuero, si eiusmodi argumentationem admittere voluerimus, necesse est, alia quoque Seruatoris effata, quae futurum eius in vitam reditum perspicue eloquuntur, (qualia v. c. Matth. 17, 9. Lucae 18, 31—34. Io. 16, 16. sqq. legimus), vel spuria iudicemus, vel ita comparata, vt verba Christi interpretatione quadam horum verborum, quam euangelii auctor veram iudicauerit, aucta et amplificata exhibeant. Ingenue profiteor, talem crisin, rationibus idoneis plane destitutam, iisque argumentis repugnantem, quae fidem euangelistarum summam et veracitatem testentur, meo quidem iudicio parum probari. Perpendamus modo, (id quod documenta docent luculentissima in euangeliis obuia) discipulos Iesu, opinionibus praeconceptis de Messia obnoxios, cogitationem doctoris dilecti mortem re vera subituri in animum inducere noluisse, etsi ipse saepius hanc mortem sibi instantem nuntiasset, neque nexum, qui mortem Iesu prouinciae eius Messianae iungeret, prius intellexisse, quam ipse in vitam rediisset. Potesne mirum videri, si, Iesu mo-

riente, hoc euento ipsis plane inexspectato vehementer perturbati, his diebus tristissimis eorum Christi sermonum prorsus immemores fuerint, quibus resurrectionem suam futuram aperte nuntiauerat?[27]). Neque grauius putauerim argumentum ab iis, qui interpretationem vulgarem inpugnauerunt, inde desumtum, quod Christus, vitae restitutus, amicis potius et sectatoribus, quam hostibus suis conspiciendum se praebuerit, ideoque non potuerit Pharisaeos illos ad resurrectionem suam futuram, tanquam σημειον ablegare. Immo praeuidit Christus, suum in vitam reditum, plane extraordinarium, testimoniis tam luculentis confirmatum iri, vt iis, qui ipsum non viderint in vitam reuocatum, pariter atque iis, quibus se conspiciendum praebuerit, documento legationis eius diuinae clarissimo inseruire debeat. Cfr. Actt. 10, 40. sqq. 1 Corinthh. 15, 14. sqq. Ceterum iis interpretibus, qui sub σημειω ιωνα vel doctrinam huius prophetae, vel (cum Anonymo in Ill. *Eichhornii* bibliotheca litteraturae biblicae Vol. VII. p. 1042.) comminationem interitus vrbis Niniue, a Iona enuntiatam intelligunt, similem quippe minis Christi ad excidium Hierosolymae spectantibus, obstare video, quod neque alia vocabuli σημειον hoc sensu adhibiti exempla

27) Praeterea, vt concedatur, verba Christi v. 40. ουτως εσται ο υιος του ανθρωπου etc. illo tempore discipulis non omnino clara fuisse ac perspicua; minime tamen (vt probe obseruauit V. *Flatt* in symbolis ad illustranda quaedam grauiora Iesu dicta in ev. Io. partic. I. Tubingae, 1807. 4. p. 7.) hoc eos inpedire potuit, quo minus σημειον Ιωνα de fato Ionae prodigioso intelligerent.

in N. T. obueniunt, neque consilio et nexui sermonis, quem Christus aduersariis opponit, hac ratione probe consulitur. Nihil enim iuuabat, coram eiusmodi hominibus, efficaciam summam atque praestantiam doctrinae a Iesu propositae pertinaciter agnoscere nolentibus, ad hanc ipsam doctrinam, tanquam σημειον vnicum iis exhibendum prouocasse. Quodsi Iesus exemplo Niniuitarum, qui Ionae propter doctrinam eius fidem habuerint, docere eos voluisset, sibi quoque propter sermones fidem esse habendam; facile, opinor, Pharisaei illi pro suo animi sensu respondere potuissent, sermones solos, qui Niniuitis idonei apparuerint ad auctoritatem Ionae comprobandam, sibi profecto non sufficere. An forte cum Ekermanno dicemus, Niniuitas, ipso libro Ionae praeeunte, neque spectatores fuisse illius euenti extraordinarii, quod cum propheta accidisset, neque hoc miraculo cognoscendo ad fidem ei habendam esse perductos? Quanquam litterae sacrae (cfr. liber Ionae c. 3. v. 4.) pro ea breuitate, qua liber Ionae praecipue insignis est, simpliciter tradunt, Ionam, quum Niniuen intrasset, interitum vrbis minatum esse quadraginta diebus elapsis euenturum; facile tamen patet, quam parum probabile sit, Ionam praeter illa verba pauciſſima l. l. obuia nihil dixisse, eumque nec de necessitate animi emendandi esse loquutum, nec fata sua commemorasse singularia, quibus numen diuinum iterata vice grauiter eum excitauerat, vt Niniuitas adiret auctoritate prophetica. Quomodo enim incolae huius vrbis Ionae, simpliciter interitum vrbi instantem nuntianti neque alia insuper docenti

vllam fidem habere potuiſſent? Fata Ionae profecto ita ſe habebant, vt auxilium declararent potentiſſimum, quo Deus eum iuuiſſet, et conſilium ſingulare, cui Deus hunc virum deſtinaſſet. Itaque Niniuitae, huic vati, ciues ad animum emendandum cohortanti, interitum comminanti, fata ſua enarranti fide habita, reſipuerunt, vnde factum, vt Iehoua iis parceret. Reſurrectio Chriſti pariter ſignum illuſtre exhibitura erat auxilii diuini plane ſingularis, quo Deus Chriſtum adiuturus eſſet. Oſtendebat hic reditus in vitam extraordinarius, omnibusque palam declarabat, fidem eſſe iis praebendam, quae Chriſtus et fieri iuſſerit, et futura nuntiauerit. Quemadmodum Ionas, tanquam vates cura Dei ſingulari comprobatus, vrbi Niniue excidium comminatus eſt, quod profecto eueniſſet, niſi incolae tempore, quo licebat, mentem mutaſſent; ita Ieſus, tanquam Meſſias documento ſimili, immo illuſtriori comprobandus, ad mentem emendandam Iudaeos ſui temporis (Niniuitis ſimiles) cohortatus eſt, iisque partim poenam nuntiauit grauiſſimam (ciuitatis vrbisque Hieroſolymae excidium, quod poſthac eueniſſe hiſtoria docet), partim miſericordiam diuinam iis, qui reſipiſcere et Chriſto fidem habere voluerint, haud defuturam [28]). His de ſenſu atque nexu ſermonis Chriſti dispu-

28) De toto loco praeter B. *Storrium* in libello nota 20. laud. cfrr. Anonymus in commentatione: das Wahrzeichen des Propheten Jonas in diario B. *Henkii*: Muſeum für Religionswiſſenſchaft in ihrem ganzen Umfange. 3. B. 2. St. Magdeburg, 1806. et V. *Kuinoelii* commentar. in Matthaeum ad h. l.

tatis, facile docebimus, quam parum ad hunc Matthaei locum et effata parallela iis liceat prouocare, qui adfirment, Iesum vniuerse eos reprehendisse, qui factis extraordinariis ab ipso editis de legatione eius diuina persuadere sibi voluerint. Audimus quippe Seruatorem ad Iudaeos loquentem, qui, cum in miraculis Christi hucusque editis, auctoritatem eius vna cum doctrina, quam tradebat, satis perspicue testantibus acquiescere noluissent, noua σημεια απο του ουρανου edenda postulauerant. Quemadmodum Christus nunquam eiusmodi miracula edidit, quae ostentationi tantum ac splendori inseruire potuissent, neque vim exserere beneficam, salute hominum adflictorum reparanda, animisue de legatione eius diuina edocendis, atque ita doctrinae Christi conciliandis; ita etiam hoc tempore et loco tenacem se gessit propositi sanctissimi, noluitque omnino coram hominibus illis, animum suum occoecantibus, ipsi vero insidiantibus (quorum nonnulli eo insaniae progrediebantur, vt facta Iesu praeclara ex foedere, quod cum Satana iniisset, temere repeterent, cfr. Lucae ev. 11, 15.) vllum edere factum extraordinarium. Immo consultissimum putauit, Pharisaeis maleuolis breuiter respondendo docere, huius generis hominibus, qui auctoritatem eius diuinam hucusque iam satis luculenter comprobatam agnoscere noluerint, aliud documentum nullum esse exspectandum praeter illud σημειον admodum illustre, cui edendo Iudaei Christo aduersantes, eo occidendo, ipsi opportunitatem praebituri essent, resurrectionem eius, initium victoriae splendidissimae de aduersariis Christi reportandae. Arbi-

trariis item limitibus, opinor, ſententiam verborum Chriſti apud Matth. 16, 1—4. circumſcribunt interpretes, qui negant, eum h. l. de factis ſuis cogitaſſe extraordinariis. Reſpondet l. l. Phariſaeis atque Sadducaeis, ipſum rogantibus, vt prodigium coeleſte iis apparere iuberet, v. 3. ὑποκριταὶ, τὸ μὲν πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ γινώσκετε διακρίνειν, τὰ δὲ σημεῖα τῶν καιρῶν οὐ δύνασθε; ſimulatores! valetisne coeli faciem dignoſcere (i. e. vt ex antecedentibus patet, poteſtisne, rubore coeli veſpertino et matutino obſeruando, et ſerenitatem coeli et tempeſtatem futuram recte augurari) nec tamen ſigna temporum certorum? Sub his σημείοις των καιρων Ekermannus in comment. nota 20. laud. ignorantiam, impietatem, vitioſitatem illorum temporum intelligit, quam Ieſus documento luculentiſſimo inſeruire dixerit, quo pateat, negotium docendi homines et emendandi, cui ipſe operam nauet, deſideriis hominum ſanctiſſimis conſulere, ideoque voluntati diuinae prorſus eſſe accommodatum, nec de diuina ipſius legatione dubitari poſſe. Dubio quidem caret, των καιρων h. l. idem eſſe quod τουτων των κ. ſ. τουτου του καιρου cfr. Luc. 12, 56. Licet vero inſuper hanc notionem (praeeuntibus aliis locis v. c. Marci 1, 15. ad Galatas 4, 4. Sirac. 33, ſ. ſecundum alios editores 36, 6. 8.) accuratius ita definire, vt Ieſum de tempore *regni diuini per Meſſiam iam inchoandi* cogitaſſe cenſeamus. Reprehendit igitur Chriſtus ſimulationem peſſimam Sadducaeorum et Phariſaeorum, quippe qui, etſi de aliis rebus probe iudicare valeant, etiamnum tamen noua eademque ſplendidiora dignitatis Ieſu Meſſianae documenta deſiderent, tanquam ſi

nondum ex aliis signis permultis cognoscere potuerint, tempus adesse, quo regnum diuinum per Christum, legatum Dei, inchoetur. Quid vero est, quod haec σημεια ad solam illorum temporum peruersitatem, merita Christi, emendatoris hominum, luculentissime declarantem referri, omnemque cogitationem factorum Iesu insignium, legationem eius diuinam testantium remoueri iubeat? Neque antecedentibus inesse video, quod eiusmodi interpretationem efflagitet, neque v. 4. necessitatem eius demonstrat, si modo perpenderimus, quaecunque de effato vberiori Matth. 12, 39. 40. disputata fuerint, eadem ad locum nostrum breuiorem, illi simillimum, iure meritoque transferri.

§. 19.

Monuerunt porro, sententiae nostrae de consilio, cui Iesus ipse miracula sua inseruire dixerit, ea obstare *effata*, *vbi Christus facta extraordinaria ab ipso edita diuulgari noluerit*. Huic argumento primum quidem repugnat, quod non patet, quomodo Iesus, enarratione miraculorum suorum interdum interdicenda, prohibere potuerit, quo minus ii certe homines, in quorum vsum quibusue spectantibus factum insigne edidisset (in quibus ipsi potissimum Apostoli fuerunt), legationem eius diuinam ex his ipsis factis cognoscerent. Deinde alias causas easque diuersas in promtu esse videmus,[28])

29) Perperam quidem nonnulli coniecerunt, Seruatorem miracula sua interdum tacere iussisse, quo latius diuulgarentur, omniumque sermonibus celebrarentur, hominibus in veti-

quare Iesus variis locis temporibusque miracula edita diuulgari noluerit. Licet quippe ex ipsis euangelistarum commentariis colligere, Christum subinde eiusmodi interdictis securitati et saluti eorum hominum, quos miraculo edendo a malo quodam liberasset, consuli voluisse. Cfr. inprimis *Matth.* 8, 5. vbi Iesus homini leproso, cui sanitatem restituerat, haec mandata iniungit: vide, ne cui rem enarres, sed abi, siste te sacerdoti, et donum offer a Mose imperatum, quod testimonio (sanitatis restitutae) illis (aliis hominibus)[30] inseruiat. Haud pauci quidem interpretes causam huius mandati inde repetunt, quod sacerdotes Hierosolymitani, si rem cognouissent, priusquam homo sanatus sacerdoti in templo se stitisset explorandum, facile, inuidia ducti, hominem, quem

---

tum nitentibus. Quae coniectura quam parum possit animo Christi ingenuo et veraci, ipsisque verbis, quibus in eiusmodi interdictis vsus est, seriam eius voluntatem perspicue testantibus conciliari, probe docuit *Küchler* in commentatione (de hac tota quaestione conferenda) de causis, quare Iesus miracula sua diuulgari vetuerit, admodum probabilibus, Leucopetrae, 1807. 4.

30) Nolim quidem cum pluribus interpretibus αὐτοῖς ad ἱερεῖς referre, hoc sensu: ad testimonium (sanitatis tuae) sacerdotibus exhibendum. Quid enim fuit, quod Iesus hoc testimonium pluribus sacerdotibus exhiberi vellet? Sufficiebat omnino (ex lege Mosaica) quod homo a lepra purgatus vni sacerdotum (cui ceteri prouinciam de statu eiusmodi hominum iudicandi demandauerant) sanatum se ostenderet. Immo αὐτοῖς ad vniuersam spectat notionem των ανθρωπων in ipsa voce μηδενι (ορα μηδενι ειπης) latentem. Similiter pronomen αυτων Matth. 4, 23. ad subiectum refertur, quod antea non accurate commemoratum fuerat.

Ieſus vere ſanaſſet, inpurum et immundum declarare, ipſumque Chriſtum perperam fraudis accuſare potuiſſent. Nonne vero, etſi ſacerdos ad mendacium confugere voluiſſet, homini ſanato aliis rationibus contrarium docere licebat, ſuamque puritatem hominibus declarare? Malim de alio eodemque duplici conſilio cogitare, cui Ieſus hoc mandato ſatisfecerit. Iuſſit hominem ſanatum vel omnino tacere, vel hoc certe tempore nondum diuulgare, ipſum a Chriſto purum eſſe redditum, talemque declaratum, partim, ne legis Moſaicae auctoritatem confeſtim abrogaturus et inpugnaturus eſſe videretur (aliunde enim conſtat, quam caute et ſollicite Chriſtus initio vitae ſuae publicae doctrinam de lege Moſaica abroganda tractauerit), partim, ne forte ſacerdotes hominem ſanatum legis Moſaicae neglectae accuſarent ac perſequerentur, quippe qui, praeteritis ſacerdotibus, auctoritate Ieſu Chriſti (quem illi odio haberent) puritatem ſibi reſtitutam praedicaſſet. Patet inde, quare Ieſus l. l. interdicto ſuo: ὅρα μηδενὶ εἴπῃς *confeſtim* hoc mandatum ſubiunxerit: σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ etc. Intelligimus inſuper ex euangelio Ioanneo, homines, qui auxilium Chriſti beneficum, quod ipſi experti fuiſſent, palam et ſtudioſe praedicarent, omnino interdum habuiſſe, quod inſidias et vexationes aſſeſſorum ſynedrii metuerent. Etenim, quum parentes hominis a natalibus inde coeci, cui Chriſtus oculorum vſum donauerat, a proceribus Iudaeorum interrogati fuiſſent (*Io. eu.* c. 9. v. 19), an hic ſanatus re vera ipſorum eſſet filius, a natalibus inde coecus, et, quomodo viſum accepiſſet? illi (v. 20. 21.) adfirmarunt quidem,

filium esse suum, eumque a natalibus inde oculorum vsu caruisse, negarunt vero, de eo sibi constare, quis visum ei donauisset, filiumque ipsum hac de re iusserunt interrogari. Cuius timiditatis rationem ipse Ioannes v. 22. hanc protulit: haec parentes eius responderunt prae metu procerum Iudaicorum, quippe qui iam de eo conuenerant, vt, si quis illum Messiam esset professus, conuentu sacro prohiberetur. Cfr. v. 35. et c. 7. v. 13. Aliam causam, quare Seruator miracula sua diuulgari interdum vetuerit, plures interpretes in eo deprehendunt, quod suae ipsius securitati sapienter consuluerit, neque inuidiae et odio Pharisaeorum atque sacerdotum iusto citius succumbere voluerit, priusquam fundamenta regni diuini posuisset, tempusque moriendi appropinquasset a patre destinatum. Intelligimus omnino ex ipsis euangeliis, quam sapienter Christus vitae suae aliqu amdiu in his terris peragendae pepercerit (v. c. Io. eu. 7, 1. sqq. 8, 59.) neque negari potest, facta eius extraordinaria multum contulisse ad inuidiam Pharisaeorum atque sacerdotum grauius concitandam. Nolim vero hanc indicare causam interdicti, de quo disputatur, principem. Etsi enim Christus prohibuerit, quo minus huius illiusue miraculi rumor latius spargeretur, facile tamen aliis factis insignibus permultis, nullo silentio tectis, odium synedrii potuit incurrere. Immo persuasissimum mihi habeo, consilium primarium, quod Christus spectauerit, quum saepius interdiceret, ne hoc illudue factum extraordinarium ab ipso editum diuulgaretur, eo pertinuisse, vt discipuli eius pariter atque alii Iudaei de pretio horum facto-

rum, de fine eorum principe, de ſenſu, quo ipſe eiusmodi facta doctrinae ſuae iungeret, recte iudicâre diſcerent. Egregie enim et ſapientiſſime praeuidebat, niſi rumorem de miraculis ſuis excitatum eiusmodi interdictis aliquo modo coërceret, facile nimiam fore eorum Iudaeorum copiam, qui conſilium, quo Chriſtus prodierit, primarium ad facta illa referant inſignia, neque ſanctitatem illius negotii, cui facta Chriſti inſeruierint, negotii, inquam, docendi (quod quantopere ei curae cordique fuerit, ex Marci c. 1. v. 38. ſimilibusque effatis abunde patet) recte aeſtument. Probe item nouerat, plerosque ciuium ſuorum, Meſſiam terreſtrem, qui regnum ſplendidum conditurus eſſet, auide exſpectantes ac deſiderantes, admodum pronos et procliues eſſe ad dignitatem regiam ipſi obtrudendam et ſeditionem contra Romanos excitandam. Itaque, quemadmodum turbae hominum eiusmodi ſeditionem molientium fuga ſe eripuit (Io. 6, 15), ita iis potiſſimum locis ac temporibus, vbi homines animaduerterat illis ſtudiis terreſtribus praecipue deditos, ſuamue miraculi editi admirationem ſtrepitu magno declarantes, cauendum putauit, ne forte animi, facto inſigni cupidius diuulgando, magis incenderentur, atque, rumore illo (quantum fieri potuit) prohibendo, ſatis aperte declarauit, quantopere ab omni rerum nouarum ac ſplendoris ſtudio, omnique oſtentatione alienus eſſet. Cfr. Marci 1, 45. 7, 36. 8, 26. Luc. 8, 56.[31]) Eadem de cauſa hominibus, qui

31) Narratur homo leproſus, quem Chriſtus ſanauerat (Marci c. 1. v. 42. ſqq.) beneficium, quod ſibi contigerat, ita co-

dignitatem eius Messianam agnouerant, suamque hac de re persuasionem palam professi fuerant, subinde interdixit, ne diuulgarent, ipsum esse Messiam (etsi haud negauerim, eum propterea quoque aliquamdiu noluisse palam Messiam praedicari, vt ab insidiis Pharisaeorum et sacerdotum, qui de Messia longe aliter statuerent, tutior lateret, vsque dum tempus mortis in cruce subeundae appropinquasset.) Cfr. Marci 1, 34. 3, 12. Luc 4, 41. Matth. 16, 20.[32]) Neque iam intellectu est difficile, quare Christus initio tantum, aut tempore medio muneris sui, neque item, quum vita eius publica ad finem vergeret (cfr. Luc. 14, 2. sqq. 17, 11. ff. Marci 10, 46. ff. Matth. 21, 14.) his interdictis vsus fuerit. Postquam enim aliquamdiu docuerat, et vniuersa doctrinae suae indole pa-

---

brasse ac diuulgasse, ὥστε μηκέτι αὐτὸν δύνασθαι φανερῶς εἰς πόλιν εἰσελθεῖν, vt vrbem (propinquam) non posset palam ingredi. Facile enim praeuidebat, facto illo insigni diuulgato, magnum ad ipsum fore concursum ciuium, strepitumque haud exiguum iri excitatum, si incolae vrbis ipsum conspexissent. Marci 7, 37. interdicto Christi v. antecedente commemorato, quo prohibere studuit, ne miraculum in homine surdo ac difficulter loquente sanando editum diuulgaretur, haec legimus addita: καὶ ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο λέγοντες· καλῶς πάντα πεποίηκε etc. Similem obseruationem Lucas in loco laud. 8, 56. addidit.

32) Iis, quae modo de causa primaria disputauimus, quare Iesus miracula sua diuulgari interdum vetuerit, insuper omnino coniungere licet coniecturam admodum probabilem, eum hac in re *Apostolorum* quoque rationem habuisse. Quouis enim pacto cauere voluit, ne Apostoli sui in miraculis edendis ostentationi indulgerent. Cf. Luc. eu. 10, 20.

riter ac singulis sermonibus factisque ostenderat, quam parum sibi exspectationes Iudaeorum vulgarium terrestres probarentur, (instante potissimum morte in cruce subeunda, quae vulgaribus Iudaeorum de Messia placitis prorsus contradiceret), neque rumor de factis insignibus, quae edidit, excitatus, neque professio dignitatis eius Messianae publica animos Iudaeorum Messiam terrestrem desiderantes eadem facilitate et alacritate inflammare potuit, quam Seruator sapientissimus, quum palam prodire, docere et agere coepisset, omnino metuendam putauerat. Licet denique, his perpendendis, rationem cognoscere idoneam, quare Christus inter Iudaeos tantum hanc cautionem necessariam iudicauerit, neque vero in confiniis Tyri ac Sidonis, vbi filiam mulieris Cananaeae sanauerat (Matth. 15, 22. sqq.) eiusmodi interdictum addiderit, immo in regione Gadarenorum homini daemoniaco, quem a daemone malo liberauerat, ipse mandauerit, vt domum ad suos abiret, iisque beneficium nuntiaret, quod sibi contigisset (Marci 5, 19. Luc. 8, 39.) Quae quum ita sint, ex iis locis, vbi Christus miracula sua diuulgari vetuit, nihil potest recte colligi, nisi (quod omnino in tota doctrina de miraculis Christi pertractanda probe tenendum est ac diligentissime obseruandum), Seruatorem sapienter cauere studuisse, ne Iudaei factorum, quae edidisset, insignium abusum facerent ad opiniones vanas de Messia animo nutriendas, et neque consilium, quo terram adierit, ad *sola* haec facta extraordinaria referri, neque legationem suam diuinam ex *solis* miraculis cognosci voluisse.

§. 20.

Postremum genus effatorum, quae Theologi in medium proferunt, qui negant, Christum omnino ad miracula sua, tanquam documenta legationis suae diuinae prouocare voluisse ac potuisse, *ea* complectitur, *vbi de miraculis loquitur, quae doctores et prophetae falsi edituri sint.* Matth. 7, 22. 24, 24. Marci 13, 22. Existimant quippe, Seruatorem, eiusmodi quoque hominibus potestatem σημεια ac τερατα edendi vindicantem, satis aperte docuisse, neminem vnquam ex factis insignibus legationem diuinam hominis, qui doctorem, prophetam, Messiam sese gesserit, agnoscere debere. Licet his duo potissimum argumenta opponere. Primum quidem arbitrarie ponunt, qui defensores huius argumentationis exstiterunt, Christum haec dicentem de discrimine nullo cogitasse, quod σημεια eiusmodi doctorum mendacium inter atque miracula doctoris vere diuini intercedat, *ratione ipsius naturae horum factorum per se spectatae habita.* Etsi ipse in sermonibus suis nulla huius generis criteria commemorauerit, nemini tamen licet ex hoc silentio (quo omnino quaestionem de natura miraculorum interna metaphysicam praeteriit, ad doctrinam religionis ingenio omnium hominum accommodatam non pertinentem) demonstrare, eum sua et Apostolorum miracula vna cum illis σημειοις Pseudoprophetarum, ratione causae eorum et oridinis habita, ad vnum idemque genus factorum referri voluisse. Neque vestigia desiderari dixerim, ex quibus contrarium eluceſcat. Immo, facta illorum ψευδοπροφητων fuisse fraudu-

lenta, quae alios ſpecie miraculi decipere poſſent, ipſum docet verbum πλαναν et αποπλαναν Matth. 24, 24. Marci 13, 22. de illis hominibus adhibitum. Perpendamus item, Seruatorem vtroque loco minime ſucceſſum felicem nuntiaſſe, quo facta illa ψευδοπροφητων gauiſura eſſent, ſed hoc tantum praedixiſſe, huius generis homines *in eo eſſe elaboraturos, vt, ſi fieri poſſet* (ει δυνατον), *adeo homines Deo probatos* (*Chriſtianos*) *deciperent.* Accedit, quod vſus loquendi omnino permittit, praeeunte inſuper hiſtoria, vt verbum δώσουσι de ſola miraculorum magnorum promiſſione (cui euentus non reſponderit) interpretemur. Cfr. V. *Kuinoel* commentar. ad Matth. p. 665. ex edit. recent. Conſulamus inſuper effatum Chriſti in eu. Lucae obuium c. 11. v. 26. Quum Ieſus a Iudaeis, cupide et maligne iudicantibus, temere accuſatus fuiſſet, quod ope ipſius Satanae daemones expelleret, primum quidem iis demonſtrauerat, (v. 17. 18) quam abſurde eum criminati fuerint, ſiquidem regnum Satanae, a ſe ipſo diſſentientis aliumque iuuantis daemones malos eiicientem, conſiſtere non poſſet. Offenderat porro (v. 19.) eos iniuſte iudicaſſe, quum diſcipuli quoque eorum (homines ſectae Phariſaicae addicti) poteſtatem homines daemoniacos ſanandi ſibi vindicarent, nemine eos foederis accuſante, quod cum principe malorum daemonum inierint. His praemiſſis, v. 20—23. docuerat, illas daemoniacorum ſanationes, quas ipſe perficiat, documento potius luculento auxilii inſeruire diuini, ipſum iuuantis, regnum Satanae deſtruentem, regnumque diuinum in terra fundaturum, neque ipſum inter atque Sa-

tanam vllam pacem atque concordiam locum habere posse. Addit v. 24. 25. 26: *quando genius malus homine egressus est, loca arida perambulat, quaerens sedem quietam. Quam vbi non inuenerit, constituit in locum redire, vnde egressus fuerat. Quem reuersus quum purgatum ornatumque inuenerit, iterum abit, adsumitque alios septem daemones ipso peiores, qui vna ingressi (hominem) sedem ibi ponant. Vnde posterior hominis conditio priori deterior redditur.* Patet iam ex iis, quae de serie et argumentatione versuum praecedentium breuiter disseruimus, nexum, qui haec verba antecedentibus iungat, non posse facilius quam ita constitui, vt Christus sua studia, auxilio Dei potentissimo adiuta, in hominibus imperio Satanae eripiendis conspicua, ostentationi vanae illorum, qui disciplinae Pharisaicae addicti essent, opposuisse censeatur. Quicunque enim animo fiduciae pleno Christum adierant, eiusque disciplinae se totos commiserant, veram corporis sanitatem recuperarunt, et (quod praecipuum est) in conditionem animi perfectiorem eamque perpetuam transierunt. Illi vero Iudaei suis, quas iactitabant, daemoniacorum sanationibus, omninoque suis studiis ostentatione plenis nihil efficere solebant, nisi vt homines, eorum curae traditi, per exiguum temporis spatium conualuisse et resipuisse viderentur, breui post ad statum delapsi deteriorem [33]). Alterum, quod iure meritoque iis

33) Cfr. quae de hoc loco bene obseruauit *J. H. Fritsch*: Handbuch für Prediger zur praktischen Behandlung der Sonn- und Festtäglichen Evangelien, erster Theil, Magdeburg, 1811. 8. p. 543. sq.

Theologis opponimus, qui argumento, de quo ſermo eſt, exegetico vſi negauerunt, Seruatorem ipſum miracula, quae edidit, documento externo legationis ſuae diuinae inſeruire voluiſſe, in eo verſatur, quod ex locis laudatis nihil niſi hoc probare poſſunt (quod extra omnem dubitationem poſitum eſſe iudicamus), *Ieſum Chriſtum legationem ſuam diuinam ex miraculis ita cognoſci voluiſſe, vt ſimul ad omnem reliquam ipſius vitam, voluntati diuinae accommodatam atque doctrinam reſpiceretur.* Obiecerunt quidem, loca deeſſe, vbi Seruator eiusmodi conditionem argumentationis, quae ad legationem eius diuinam ex miraculis probandam pertineat, aperte indicauerit, neque eam ſponte ab auditoribus diuinari et cogitando ſuppleri potuiſſe. Teneamus vero, effata illa Matth. 7, 22. 24, 24. Marci 13, 22. ex iis ſermonibus deſumta eſſe, quibus ad diſcipulos potiſſimum interioris admiſſionis ſe conuerterit. Putabimusne, eos, qui ſpectatores totius vitae Ieſu Chriſti probae, eiusque ſermonum auditores perpetui fuerint, latere potuiſſe, Seruatorem miracula ſua, non tantum, quatenus omnino facta eſſent inſolita et inſignia, ſed etiam, quatenus facta eſſent proba, benefica, omninoque ſtudio indefeſſo, voluntati diuinae et docendo et agendo ſatisfaciendi coniunctiſſima, legationis eius diuinae documenta iudicaſſe? Nonne item, quum Matth. 7, 23. adfirmaret, ſe olim, die iudicii, haud paucis δυνάμεις πολλάς iactaturis, quas nomine Ieſu edidiſſent, reſponſurum eſſe: ὅτι οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς· ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, ſatis aperte declarauit, δυνάμεις (i. q. σημεῖα) homini auctoritatem nullam

conciliare, nisi vitam gerat voluntati diuinae accommodatam? [34]) Nonne Christum saepenumero audimus, [35]) coram Apostolis pariter atque praesentibus aliis Iudaeis, ad ipsam doctrinae suae praestantiam internam prouocantem, suumque studium, dictis factisque omnibus gloriam Dei patris illustrandi? Quae quum ita sint, persuasissimum mihi habeo, neque huius generis effata, neque cetera, de quibus supra sermo fuerit, iis obstare, quae de consilio, quo Iesus miracula ediderit, ex ipsius sermonibus classicis recte cognoscendo disputauerim.

---

34) De effato *Marci* 9, 39. vbi Iesus prohibet, quo minus discipuli hominem coërceant, quem auctoritate Iesu daemones eiicere cognouerint, etsi ad sectatores Christi perpetuos nondum accesserit, iampridem B. *Storrius* in comment. nota 20. laud. recte obseruauit, de eiusmodi homine sermonem esse, qui minime suam ipsius auctoritatem illis daemoniacorum sanationibus voluerit superstruere, sed facta sua ad auctoritatem Christi illustrandam retulerit.

35) Vberius hac de re differui in commentatione mea exegetica de locis nonnullis eu. Io. Lipsiae, 1808. 4. inserta his opusculis meis critico-exegetico-dogmaticis. p. 58—94.)

Commentatio Quinta *).

In veram Pauli Apostoli sententiam de communi moriendi necessitate ex Adami peccato oriunda e loco epistolae ad Romanos c. V. v. 12. 13. 14. recte eruendam inquiritur.

*) Edidi hanc commentationem Vitebergae, anno MDCCCXI. ad Festum natiuitatis Christi celebrandum more solito inuitaturus.

Quicunque inter Theologos vel antiquiores vel recentiores doctrinae, qua Deus peccatum ab Adamo commissum omnibus eius posteris inputasse (i. e. vitio iis vertisse ideoque omnes eidem poenae, qua Adamum adfecerat, obnoxios reddi voluisse) dicitur, fautores ac defensores ita exstiterunt, vt in dogmate illo argumentis exegeticis comprobando elaborarent, vim summam id, quod demonstrari voluerunt, luculentissime probandi effato inesse Paulino, quod capite quinto epistolae ad Romanos continetur, vno veluti ore sunt professi [1]). Consenserunt iis plures eorum scripturae sacrae doctorum atque interpretum, qui, quanquam dogmati de inputatione peccati Adamitici philosophando potissimum aduersati sunt, neque huic doctrinae locum inter articulos

1) Ita inter recentiores S. V. *Augusti* statuit: *System der christlichen Dogmatik* S. 54. sq. Quod antiquiores attinet, sufficiat lectores ad opera ablegare eruditissima *Buddei*: institutiones Theologiae dogmaticae l. 3. cap. 1. p. 532. cap. 2. p. 588. sqq. et *Gerhardi*: locorum theologicorum Tomus septimus ed. Cotta p. 11. sq.

fidei Christianae concedi voluerunt, minime tamen negare ausi sunt, ex verbis Pauli probe intellectis doctrinam illam sponte elucescere, siue Apostolus ipse ita iudicauerit, atque eiusmodi persuasionem e Iudaismo in Christianismum transtulerit, siue formulis et opinionibus Iudaicis suam argumentandi rationem accommodauerit [2]). Plerique vero recentiorum interpretum Paulum omnino negant de inputatione cogitasse peccati Adamitici, immo Apostolum de causa, quare posteri Adami hucusque omnes pariter atque proauus mortem subire debuerint, ita iudicasse docent, vt vel propter ipsam singulorum Adami posterorum vitiositatem ita factum esse diceret, vel, etsi originem communis moriendi necessitatis ab Adamo repetiisset, nexu tamen alio (ab eo quidem nexu, quem defensores admittunt dogmatis de inputatione peccati Adamitici proprie sic dicta, multum diuerso) mortem hominum omnium statueret peccato Adami [3]) cohaerere.

---

2) cfr. v. c. *Döderleins christlicher Religionsunterricht nach dem Lateinischen des Vf. ausgearbeitet von D. Junge, 9ter Thell*, S. 159. sq. *Ammon* excursus C. additus editioni recentiori Voluminis IV. Novi Testam. Koppiani, ab Ammonio curatae p. 385. sq.

3) cfr. B. *Mori* epitome Theologiae Christianae p. 115. 16. eiusdem praelectt. in epist. ad Romanos p. 58. sqq. *Storr Lehrbuch der christlichen Dogmatik übersetzt mit Erläuterungen von Flatt*, S. 429. sq. *Bauer biblische Theologie des Neuen Test. 4ter Band*, S. 375. sqq. *Meyer Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs*, S. 200. sqq. *Tieftrunk Censur des christlichen protestantischen Lehr-*

Quae quidem ſententiarum diuerſitas quum partim ad vniuerſam theologiam Chriſtianam dogmaticam recte tradendam, partim ad Pauli potiſſimum Apoſtoli Anthropologiam et Chriſtologiam probe aeſtumandam plurimum valeat; videor mihi, perluſtrandis iis capitis quinti epiſtolae ad Romanos ſcriptae commatibus, a quibus recte explicandis quaeſtionem illam totam pendere omnes intelligunt, veram Apoſtoli ſententiam declaraturus, atque ita demonſtraturus, quid et quantum poſſit in tractando dogmate de inputatione peccati Adamitici e verbis Paulinis colligi, argumentum elegiſſe neque grauitate deſtitutum, neque alienum a conſilio huius libelli academici primario.

Quemadmodum Paulus aliis epiſtolarum ſuarum locis permultis eam ſequitur ſententias propoſitas vberius explicandi earumque

---

begriffs, 3*ter Theil*, S. 126. B. *Roſenmüller* in ſcholiis ad locum Paulinum. *B. Reinhard Vorleſungen über die Dogmatik herausgeg. von Berger*, S. 289. ſq. V. *Süſskind*: *Bemerkungen über die Hypotheſe, daſs Paulus ſich Röm. V. zu jüdiſchen Meinungen akkommodirt habe, im Magazin für chriſtliche Dogmatik und Moral fortgeſetzt von Süſskind*, 13*tem Stück*, S. 68. ſqq. Inter antiquiores Theologos perſuaſionem de inputatione peccati Adamatici e loco noſtro probanda praecipue inpugnauerat *Daniel Whitby* in tractatu de inputatione diuina peccati poſteris eius vniuerſe in reatum, (Londini 1711.) c. 3. p. 42. ſqq.

grauitatem animo altius infigendi methodum, qua contrarium contrario illuſtratur, ita capite V epiſtolae ad Romanos, quo luculentius beneficii diuini per mortem Ieſu Chriſti humano generi parati praeſtantia pateat et ambitus, Chriſto, auctori vitae et ſalutis veriſſimae omnibus iis deſtinatae, qui doctrinam Chriſtianam amplexi fuerint, atque in morte Seruatoris fiduciam poſuerint firmiſſimam eandemque efficaciſſimam, Adamum opponit, quippe qui vitioſitatis humanae atque communis moriendi neceſſitatis auctor exſtiterat. v. 12. Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος· καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Quum Apoſtolus verbis praegreſſis hoc egiſſet, vt animos Chriſtianorum ad ſpem praeſtantiſſimam attolleret, quam propterea iure meritoque alant atque nutriant, quod Deo per Dominum Chriſtum conciliati fuerint; facile patet, quam apte v. 12. in. formula transeundi vtatur διὰ τοῦτο, vberiorem beneficii praeſtantiſſimi, quod morte Seruatoris ſalutari hominibus contigit, praedicationem inchoaturus. Ipſum vero huius commatis initium interpreti difficultatem obiicit grammaticam, inde oriundam, quod protaſis appareat, cui nulla reſpondeat apodoſis. Quo minus enim verbis: καὶ οὕτως etc. apodoſin ineſſe cenſeamus, et ipſa ratio atque indoles ſententiae parum commodae inde prodeuntis impedit, et formula καὶ οὕτως, quae docet, membrum poſterius pariter ac prius rectius ad protaſin referri. Neque cum B. Koppio dixerim, poſt διὰ τοῦτο ex vltimis verbis v. 11. haec ſup-

plenda esse: ἐλάβομεν καταλλαγὴν δι' αὐτοῦ, ita vt verba v. 12. antecedentibus paulo negligentius nec sine magna sermonis breuitate putentur adnexa: proinde per Christum Deo sumus reconciliati, quemadmodum per vnum hominem (Adamum) vitiositas exstitit etc. (vt nos interdum dicimus, sententiae modo enuntiaratione habita: *also*, *gerade so wie* etc.) Etsi concesserim, hanc rationem minime tam duram apparere, vt in epistolis Paulinis admitti nequeat, ea tamen, quae infra inde a v. 15. sequuntur, haud obscure arguunt, Paulum eandem membrorum oppositionem, quam v. 15. 16. 17. inprimis 18. 19. sermone perspicuo et integro expressisse, v. 12. in mente quidem habuisse, neque vero enuntiasse integram. Eteuim, quum sic fere scribere constituisset: ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία — πάντες ἥμαρτον· οὕτω καὶ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου, ἰησοῦ χριστοῦ, δικαιώματος ἡ ζωὴ (l. οὕτω καὶ δι' ἑνὸς ἀνθρ. δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί), hanc posteriorem totius periodi partem suppressit, ad ea delatus, quae v. 13. 14. inseruit (quum verba v. 12. postrema ansam haec dicendi praebuissent), atque, his enuntiatis rediit v. 15. ad illam peccati Adamitici (quo factum est, vt et vitiositas et communis moriendi necessitas inter homines existeret) atque beneficii praestantissimi, quo Iesus Chr. de salute totius generis humani veriss. ma egregie est meritus, oppositionem, inde a v. 15. vsque ad finem capitis saepius iteratam, atque formulis pluribus iisque diuersis, totius sententiae grauitati declarandae lectoribusque commendandae aptissimis, propositam. Eiusmodi anacolutha Paulo in feruore scribendi

saepius excidisse (v. c. 1 Thessalonn. 3, 6. ad Romm. 8, 3. sqq. 9, 10.) interpretes epistolarum huius Apostoli tantum non omnes concesserunt [4]). Quod vero formulam attinet εἰς τὸν κόσμον εἰσέρχεσθαι, quum de malis agatur atque incommodis, quae per Adamum inter homines vim suam coeperint exserere (ἁμαρτία et θάνατος), patet, verbum εἰσέρχεσθαι pariter aptum esse consilio scriptoris, atque phrasis latina: *inuadere* terram s. prouinciam, origini mali cuiusdam, quod inter incolas terrae aut prouinciae cuiusdam existere eosque grauiter adfligere coeperit, significandae egregie conueniat [5]). Cfr. Sapient. 2, 24. 14, 14. vbi partim de morte, partim de idolorum cultu vim suam inter homines exserere incipiente, eadem legimus. Ceterum neminem fugit ea potestas Substantiui κοσμος in libris N. F. frequenter obuia, qua totum genus humanum (omnes totius terrarum orbis incolas) complectitur [6]).

---

4) cfr. S. V. *Tzschirneri* commentatio lectu dignissima: obseruatt. Pauli Apostoli epistolarum scriptoris ingenium concernentes, particula III. Viteb. 1800. p. 44. sq.

5) cfr. B. *Morus* in praelectt. ad h. l. Notio *inuadendi* vb. εισερχ. insuper in ev. Marci 3, 27. exprim. De alia phraseos εισερχεσθαι εις τον κοσμον significatione, qua ad Messiam translata est, in vitam humanam proditurum, vberius expossui in commentatione mea exegetica de loco ev. Io. 1, 9—14. Lipsiae, 1805. (quae in hac opusculorum collectione locum tenet primum.)

6) Sufficiat ad Io. ev. 1, 10 lectores ablegasse. Vberiorem quippe huius interpretationis demonstrationem eo minus

Adfirmat igitur Paulus, per *vnum hominem* (i. e. Adamum, cfr. v. 14.) et ἁμαρτίαν inter homines exſtitiſſe, et θάνατον (oriundum quippe ex ἁμαρτία). Cuius effati grauiſſimi ſententiam vt probe perſpicere et apte conſtituere liceat, vtriusque notionem veram neceſſe eſt accuratius inueſtigemus. Et ἁμαρτίαν quidem h. l. minime de hoc aut illo facto dici inprobo, ſed vniuerſam innuere vitioſitatem, i. e. procliuitatem ad peccandum atque peccandi conſuetudinem, et verba docent v. 12. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον atque v. 13. ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ et, quae Paulus c. 1. 2. 3. huius epiſtolae, inprimis c. 3. de ἁμαρτίᾳ monuit, cui omnes (Iudaei pariter atque Gentiles) ſint obnoxii. Magis ambigua pluribus viſa eſt vocab. θάνατος ſignificatio. Quaeſiuerunt enim, vtrum Paulus de morte cogitauerit phyſica et moriendi neceſſitate, an de miſeria omni e vitioſitate oriunda? Quae poſterior interpretatio ab ipſo loquendi vſu librorum N. F. nemini facile aliena eſſe videbitur, qui modo ad effata plura Ioannea et Paulina animum probe attenderit [7]). 1 Io. 3, 14. Io. ev. 8,

---

neceſſariam exiſtimo, quo luculentius ipſe docet parallelismus, qui noſtrum vs. 12. inter atque v. 18. intercedit, κοσμος h. l. idem valere quod πάντας ἀνθρώπους.

7) Senſu carere idoneo effatum Io. μεταβεβήκαμεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν, ſi quis voci θανατος h. l. *ſolam* ineſſe dixerit mortis phyſicae notionem, vſus declarat *temporis praeteriti*. Nec facile quisquam Ioannem hoc ſibi voluiſſe exiſtimabit, Chriſtianos propterea, quod fratres (alios) amore proſequantur, a *neceſſitate mortem proprie ſic*

51. [8]) ad Romm. 1, 32. [9]) 8, 6. 13 [10]). Ne-

dictam ſubeundi eſſe liberos (quum eiusmodi ſententia, verbis Ioanneis vindicata, veritati atque ſcripturae ſacrae prorſus eſſet repugnatura). An forte illud: μεταβεβηκαμεν etc. eo pertinet, quod Chriſtianis amore fraterno alios complectentibus mors (proprie ſic dicta) aeterna non ſit metuenda? Verum enimvero docet religio Chriſtiana, mortem aeternam omnino nemini mortalium eſſe metuendam, immo omnes (inprobos pariter ac probos) e ſepulcris eſſe prodituros atque ſortem factis ſingulorum accommodatam ſubituros (quam in rem Io. ev. 5, 28. 29. Matth. 25, 31. ſqq. laudaſſe ſufficit). Patet, verba Ioannea omnino non poſſe recte intelligi, niſi vocabulo θανατος ſenſum paulo ampliorem ſubſtituamus, ita vt *neceſſitatem* innuat *eiusmodi mortem ſubeundi*, *quam vita quidem*, *neque vero vita beata* (vere vitalis) *ſequutura ſit*, ideoque notionem *miſeriae* inuoluat. Addicunt huic interpretationi verba v. 15. Ὅτι πᾶς ἀνθρωποκτόνος οὐκ ἔχει ζωὴν αἰώνιον ἐν αὐτῷ μένουσαν (quibus formulam μένειν ἐν τῷ θανάτῳ v. 14. reſpondere in aprico eſt.)

8) Quum Ieſus Io. 8, 51. ſancte adfirmet, eum qui doctrinae ſuae obſequutus fuerit, mortem non eſſe ſubiturum, neque vero profeſſio doctrinae Chriſt. neceſſitatem tollat moriendi, res ipſa facile oſtendit, vocab. θανατος non poſſe non eodem ſenſu ampliore intelligi, de quo modo (nota 7) diſputauimus.

9) Audimus Paulum ad Romm. 1, 32. homines variis ſceleribus atque vitiis obnoxios (quorum ſpecies ſingulae v. 29. 30. 31. commemoratae fuerunt) αξιους του θανατου pronuntiantem. In promptu eſt, voc. θανατος in hac orationis ſerie obuium aliquid innuere, quod ad ſolos pertineat inprobos, neque (vt illa communis moriendi neceſſitas) de probis aeque valeat (i. e. miſeriam, futuram potiſſimum, poſt mortem exſpectandam.)

10) Opponit Paulus ad Romm. 8, 6. τῳ θανατῳ vitam (ζωην)

que cauſa atque ratio deſideratur idonea, quare ſcriptores N. T. ita loquuti fuerint, quum vitam miſeram, omni ſpe ſalutis deſtitutam, ſatis commode *morti* comparare liceat. Ad noſtrum quidem locum non poſſe non eandem vocabuli θανατος ſignificationem transferri ampliorem, *Toellnerus* potiſſimum (*theologiſche Unterſuchungen, erſten Bandes zweytes Stück S.* 59 — 62.) argumento triplici euincere conatus eſt. Ac primum quidem eo prouocat, quod Apoſtolus aliis locis eiusdem epiſtolae ad Romanos datae, vbi de θανατῳ ex αμαρτια oriundo loquitur, (6, 23. 8, 6. 13.) voce θανατος omnino totam complexus fuerit miſeriam e vitioſitate oriundam. Licet vero iis interpretibus, qui h. l. ſub θανατῳ nihil praeter mortem phyſicam eiusque ſubeundae neceſſitatem intelligi volunt, argumento excitato haud temere opponere, plerisque eorum locorum, quibus vox illa latius pateat, notionem mortis proprie ſic dictae *minime excludi* (cfr. loca nota 7. 8. 9. 10. laudata) ideoque nihil obſtare, quo minus Paulum noſtro l. (propriam vocabuli ſignificationem ſequutum) de ſola morte phyſica verba feciſſe dicamus, inprimis quum in eadem epiſtola c. 8. v. 10. (εἰ δὲ χριστὸς ἐν ὑμῖν, τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι ἁμαρτίαν) ſatis aperte

---

atque felicitatem (εἰρηνην), ita vt ſatis aperte arguat, vocab. θανατος duas complecti notiones (mortis et miſeriae). Explicanda inde verba v. 13. Ceterum verbi quoque αποθνησκειν apud Paulum eo ſenſu obuii, vt ſignificet i. q. *miſerum fieri*, exemplum luculentiſſimum locus ep. ad Romm. 7, 10. ſuppeditat.

nexum aliquem commemorauerit, quo neceſſitas mortem phyſicam ſubeundi vitioſitati cohaereat. Monuit porro (l. l.) ipſum conſilium, quod Paulus ſcribendis iis, quae v. 12 — 21. legimus, conſequi voluerit, efflagitare, vt Apoſtolum de miſeria omni e vitioſitate oriunda cogitaſſe largiamur; illam quippe beneficiorum mortis Ieſu Chriſti expiatoriae praeſtantiam et magnitudinem, quam Paulus comparatione Chriſti et Adami inſtituenda voluerit celebrare et luce colluſtrare pleniſſima, minime tantam apparere, quanta omnino fuerit, ſi quis primarium ſermonis Paulini argumentum huc redire exiſtimet, homines per Chriſtum a morte proprie ſic dicta eſſe liberatos. Vereor equidem, vt B. Toellnerus conſilium effati Paulini omni ex parte recte interpretatus fuerit. Videtur quippe Paulus non tam hoc fuiſſe demonſtraturus, per Chriſtum id ſublatum eſſe, cuius auctor Adamus exſtitiſſet (neque enim neceſſitas mortem proprie ſic dictam ſubeundi vere eſt ſublata), quam in praedicando et illuſtrando beneficio illo elaboraſſe, per mortem Chriſti hominibus parato, cuius tanta ſit praeſtantia, vt noxam illam generi humano per Adamum paratam (communem moriendi neceſſitatem) *longe ſuperet* (cfr. v. 15. πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις — ἐπερίσσευσε et v. 20. ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις) atque hominibus, huic neceſſitati addictis, ſolatium adferat efficaciſſimum. In promtu eſt, ſpem intelligi certam vitae beatae poſt mortem conſequendae e venia peccatorum oriundam. Huic enim ſententiae de conſilio, quo Paulus ea disputauerit, quae v. 12 — 21. legimus, ap-

prime conuenit, quod idem Apostolus in eadem epistola c. 8. v. 10. his verbis profitetur: *si Christus* (spiritus, quem Christus habuit, suisque sectatoribus veris contingere iubet) *vobis* (animis vestris) *inhaeret, quanquam corpora vestra propter vitiositatem* (pristinam) *morti obnoxia manent, animus tamen propter studium probitatis vita aeterna eademque beata gauisurus est.* Quod denique argumentum tertium a Toellnero excitatum attinet; inde depromtum, quod Paulus nimis mancam et imperfectam malorum, quae e peccatis oriunda sunt, descriptionem exhibuerit, nisi vocem θανατος paulo latius patere atque totam generis humani miseriam, e peccatis, ceu fonte, deriuandam complecti concesserimus; ingenue profiteor, me non perspicere, quid tandem Paulum prohibere potuerit, quo minus notionem teneret mortis proprie sic dictae, e peccato oriundae, quum profecto necessitas mortem subeundi physicam vulgo omnium, quae homines externa appellant, ideoque praecipue reformidare solent, malorum grauissimum iudicetur, omninoque ad praestantiam beneficii humano generi per Christum parati luculentissime declarandam sufficeret, quod Paulus animos Christianorum ad Adamum, mortis physicae auctorem, conuertisset. Quemadmodum vero nihil est, quod interpretem cogat, quae Paulus de θανατω ex αμαρτια oriundo disputauit, de omni miseria, vitiositatis comite, interpretari; ita partim locus Genes. c. 2. v. 17. c. 3. v. 19. quem Paulus ante oculos habuit, partim effatum parallelum 1 Corinthii. 15, 21. in significatione vocab. θανατος

propria nos iubet acquieſcere. Verba enim, quibus Deus Geneſ. 2, 17. hominibus poenam indicat, cui obnoxios ſeſe reddituri ſint, ſi forte de arbore interdicta (cognitionis boni et mali) fructus decerpere auſi fuerint: מוֹת תָּמוּת, mortem innuere phyſicam (ſ. mortis phyſicae ſubeundae neceſſitatem) et vniuerſa docet horum antiquiſſimorum Geneſeos documentorum indoles atque elocutionis in iisdem obuiae ſimplicitas (ita comparata, vt voces ſingulae ac formulae plerumque ſenſu proprio debeant intelligi, neque de ſermone figurato recte liceat cogitare) et, quod Deus (ipſe veluti interpres ſui effati cap. 3. v. 19.) ad Adamum ita loquutus eſt: וְאֶל־עָפָר תָּשׁוּב. Ipſe vero Paulus eandem ſententiam, quam inde a v. 12. huius cap. vsque ad finem vberius videmus pertractatam, alio loco 1 ad Corinthh. 15, 21. breuiter his verbis enuntiauit: ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος καὶ δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν. In promtu eſt, non poſſe de morte tropice ſic dicta (de morte morali, ſiue omnino de miſeria) cogitari, ſi quis (in eiusmodi potiſſimum orationis ſerie, qualis illa eſt, quae l. l. legentibus apparet) *reſurrectioni mortuorum* opponat θάνατον. Ceterum quod Paulus ab Adamo repetit, idem Siracides mulieri tribuit primae (25, 32.): ἀπὸ γυναικὸς ἀρχὴ ἁμαρτίας, καὶ δι' αὐτὴν ἀποθνήσκομεν πάντες [11]). His

11) Videtur omnino Siracides cauſam vitioſitatis humanae vltimam accuratius enuntiaſſe, quam Apoſtolus. Neque vero Paulus vel hiſtoriae ſacrae (Geneſ. 3, 6.) vel ſibi (1 ad Timoth. 2, 14.) recte adfirmanti, Euam ad mandatum di-

ita conſtitutis, paucis licebit quaeſtionem tangere ab interpretibus huius commatis excitatam: quonam ſenſu per vnum hominem (Adamum) vitioſitas inter homines dicatur exſtitiſſe? vtrum Paulus hoc tantum ſibi voluerit, homines omnes *poſt* Adamum pariter atque illum peccaſſe? an potius docuerit, peccato Adami *cauſam* contineri omnium, quae poſtea commiſſa fuerint, peccatorum humanorum? Malim poſterius amplecti, cauſa ſuadente duplici. Haec enim ſententiae Paulinae interpretatio poſterior et conſilio Apoſtoli (e v. 15. et ſeqq. atque inprimis ex vſu repetito praepoſitionis διὰ ſatis aperte eluceſcenti) cauſam neceſſitatis moriendi ab Adamo repetendi omnino eſt accommodatiſſima, et locis confirmatur ſimilibus. Sirac. 25, 32. Sapient 2, 24. (Neque effata noſtro conferenda in libris Iudaeorum deeſſe ſerioribus bene vidit Koppius ad h. l.) Ceterum illa et Adami atque Chriſti et eorum, quae vtriusque factum generi humano attulit, comparatio, quanquam non omnino tollitur, ſi verba Pauli ita intelliguntur, vt homines omnes poſt Adamum dican-

---

uinum violandum prius fuiſſe ſeductam, quam Adamus peccaſſet) contradixiſſe exiſtimandus eſt. Immo *Adamum ſolum* ita commemorauit, vt poneret (tanquam rem notiſſimam), hunc per mulierem eſſe deceptum, ſiue (vt Toellnerus l. l. p. 68. exiſtimat) propter maiorem ſexus virilis auctoritatem ita fecerit, ſiue propterea, quod, quum peccatum primum ab hominibus commiſſum eiusque effecta merito Chriſti eiusque efficaciae hominibus ſalutari opponere conſtituiſſet, probe viderit, Chriſto rectius virum opponi, quam mulierem.

tur peccauiſſe, tamen manca eſt et inperfecta, niſi concedimus, Apoſtolum hoc docere voluiſſe, peccatum Adamiticum inter atque vitioſitatem hominum communem (vnde communis exſtiterit moriendi neceſſitas) pariter nexum intercedere *cauſalem*, ac meritum Chriſti iuſtificationi humanae (v. 19.) nexu cauſali cohaereat Quomodo autem peccatum ab Adamo commiſſum hoc effecerit, vt vitioſitas inter homines exſiſteret? fueritne exemplum malum Adami, quod poſteros inpelleret, vt, proaui more, numini diuino obſequium denegarent debitum? an educatione praua peccandi procliuitas ab Adamo transierit ad poſteros? an Paulus de propagatione quadam vitioſitatis naturali cogitauerit? ne verbulo quidem accuratius indicauit, neque licet Theologo (id quod B. Toellnerus l. l. p. 95. ſeqq. egregie vidit) e verbis explicatis ſententiam eruere aliam, praeter illam vniuerſam, *per* Adami peccatum vitioſitatem exſtitiſſe inter homines. Videmus omnino Apoſtolum h. l. originem vitioſitatis humanae e peccato Adamitico repetendam nonniſi obiter tangentem, neque in hac ſententia (quae ſilentio transmitti propterea non potuerat, quod ἁμαρτία commemoranda nexus declarari debuit, quo communis moriendi neceſſitas peccato Adamitico cohaereat) diutius commorantem. Subſiſtit potius oratio Apoſtoli in notione mortis (τοῦ θάνατου) quae per Adamum exſtiterit, atque ad homines omnes propagata fuerit, vberius illuſtranda et amplificanda. Proinde verbis: καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος (εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε) confeſtim hanc addit explicationem: καὶ οὕτως etc. Egre-

gie lectum est verbum διῆλθεν, notioni quippe illius moriendi necessitatis, quae, ab Adamo exorsa, serie continua ad omnes eius filios ac posteros dimanauerit, exprimendae accommodatissimum (quemadmodum de fama dicitur latius serpente ev. Lucae 5, 15. Thucyd. 6, 46.) Haud parum vero interpretes in his postremis argutati sunt: ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, quae lectores accuratius de causa edocere videntur, quare posteri Adami omnes pariter ac ipse proauus morti redditi sint obnoxii. Abierunt quippe in partes diuersissimas, cum de verbis: ἐφ' ᾧ recte intelligendis, tum de sensu, quo Paulus omnes peccauisse ideoque mori debuisse docuerit, varie disputantes. Antiquiorum enim interpretum plerique auctoritatem sequuti versionis vulgatae atque Augustini (cfr. v. c. Augustinus de peccatorum meritis et remissione l. 1. c. 10. contra Iulianum l. 6. c. 2.) pronomen ᾧ ita ad Adamum censuerunt referendum, vt verterent: *per quem* (Adamum) s. *in quo omnes peccauerunt.* Prodierunt inde dogmata varia et placita Theologorum, sententiam dicti Paulini paulo obscurioris inuestigantium, aliis quippe Apostolum ad efficaciam pernitiosissimam exempli, quo Adamus, peccatorum primus, ceteris omnibus ita praeiuerit, vt eius posteri, factum Adamiticum intuiti, ad legem diuinam violandam abriperentur, respexisse existimantibus, aliis rem ita explicantibus, vt per ipsum Adami peccatum communem illam hominum omnium indolem prauam (natiuam) exstitisse dicerent, quae omnes ad peccata varii generis committenda seduceret, aliis docentibus, peccante

Adamo, peccauiſſe omnes, ſiquidem (id quod Iudaei ſeriores [12]) adfirmare ſolebant) in Adamo, principe et proauo mortalium omnium, totum genus humanum coram Deo apparuerit (ſ. ſiquidem Adamus caput exſtiterit foederis, quod homines omnes cum Deo iniiſſent, non tantum ab ipſo Adamo, ſed etiam ab omnibus eius poſteris, peccante Adamo, violati [13]), aliis denique Paulum nihil niſi hoc enuntiaſſe iudicantibus, ſortem poſterorum Adami ita fuiſſe comparatam, ac ſi omnes in Adamo (ſ. vna cum Adamo) peccauerint, quum omnes pariter diem obierint, atque proauus propter factum ſuum legi diuinae contrarium mori debuerit. Rectius, opinor, alii viderunt, recentiores potiſſimum interpretes [14]) (Dativum ᾧ generis eſſe neutrius exiſtimantes) toti formulae: ἐφ' ᾧ vim cauſalem eſſe vindicandam (*ſiquidem ſ. propterea quod omnes peccaverunt*). Etenim, qui vertunt: in quo (Adamo) ſ. per quem omnes peccauerunt, 1) duritiem tollere nequeunt grammaticam, inde oriun-

---

12) cfr. Rabbi Moſ. Tranenſis in lib. Beth Elohim ſ. 105. vbi eodem peccato, quo primus homo peccauerit, totus mundus peccaſſe dicitur, propterea quod hic fuerit totus mundus. Vd. V. Ammon in nouis opuſc. theoll. p. 71. ſqq.

13) Ita defendi poſſe iudicarunt inputationem peccati Adamitici omnibus Adami poſteris factam, atque cum legibus iuſtitiae diuinae conciliari.

14) cfr. Wettſtenius ad h. l. V. Roſenmüller in ſcholiis ad h. l. B. Koppe in notis ad h. l. Boehme in commentario perpetuo ad h. l. Ammon in l. *bibliſche Theologie erſter Band S.* 329. *Bauer: bibliſche Theol.* T. IV. p. 378.

dam, quod haec poſtrema: ἐφ ᾧ πάντες ἥμαρτον ab illis prioribus, Adamum aperte ſignificantibus: δι' ενος ανθρωπου, pluribus interiectis ita ſunt remota, vt pronomen ᾧ haud facile ad Adamum referre liceat, niſi poſt διῆλθεν ex antecedentibus tacite haec fuerint repetita: δι' ἑνὸς ἀνθρώπου (cuius ellipſeos admittendae nulla patet ratio idonea), 2) nexui ſermonis Paulini ſuam interpretandi rationem minus apte poſſunt conciliare, quum Apoſtolum v. 13. 14. aperte hoc adfirmantem audiamus, poſteros Adami *re vera* (*factis propriis*) peccauiſſe, 3) nondum probauerunt argumentis idoneis ex vſu loquendi depromtis, eum dici ἁμαρτάνειν ἐπὶ τινι, qui in aliquo ſ. per aliquem peccauerit. Quanquam enim dubio caret, permutari ſubinde in ſermone librorum N. T. praepoſitiones επι et εν (cfr. Matth. 24, 5.) atque hanc poſteriorem ex vſu praefixi hebr. ב haud raro idem valere, quod διὰ (Actt. 7, 29.) totius tamen phraſeos illo, quem diximus, ſenſu vſurpatae exempla deſideramus. Multo potius indoles ſermonis graeci, cum purioris tum hebraico-graeci, nobis addicit vertentibus: propterea quod omnes peccata commiſerunt. Ita Thomas Magiſter voculam interpretatur: ἐφ ᾧ, ἀντὶ τοῦ διότι. Cfr. epiſt. ad Philipp 3, 12. 4, 10. 2 Corinthh. 5, 4. (vbi codd. quidam pro ἐφ' ᾧ lectionem ſuppeditant e gloſſemate profectam ἐπειδή). Eodem ſenſu Hebraei dicunt בַּאֲשֶׁר Geneſ. 39, 9. Similem vſum formulae ἐφ' ᾧ feciſſe Graecos, vbi de conſilio facti cuiusdam aut inſtituti loquerentur, docuit Raphelius in annotatt. philologg. in N. T. e Xenophonte collectis p. 60. ſqq. (ad Matth.

26, 50.) Ceterum ex iis argumentis, quae supra proposuimus, facile patet, quare iis quoque interpretibus adsentiri nequeamus, qui ἐφ' ᾧ vertendum existimant: *post* quem (Adamum) omnes peccauerunt, etsi largiar, vocab. ἐπι subinde cum Dativo hoc sensu construi (cfr. Schleusneri lexicon sub V. ἐπι p. 772. sq.) Neque tamen veritate nostrae interpretationis phraseos ἐφ' ᾧ comprobanda omnis controuersia videtur sublata. Patet enim, etiamnum quaeri posse: vtrum Paulus illud πάντες ἥμαρτον [15]) de peccatis, quae singuli posterorum Adami re vera ipsi commiserint, atque committant, intelligi voluerit, an potius docuerit, illos omnes propterea morti esse obnoxios, quod, quum posteri sint Adami, ipsi tanquam peccatores appareant atque tractentur? Quodsi haec ratio posterior probata fuerit, verba: ἐφ ᾧ πάντες ἥμαρτον facile intelligimus persuasioni eorum, qui dogma de inputatione peccati Adamitici e loco nostro recte probari concesserint, satis apte ita conciliari, vt, hunc tramitem ingressi, etsi negemus, pronomen ᾧ ad Adamum esse referendum, tamen ad eandem του ἡμαρτον interpretationem deueniamus, cui plures eorum, qui illud ἐφ ᾧ verterent: *in quo* (Adamo) s. *per quem* (Adamum), calculum suum addidisse supra vidimus (pro-

15) Complectitur Paulus haud dubie, dum πάντες commemorat, non tantum eos Adami posteros, qui proauum proxime insequuti sunt, sed omnes omnino, qui hucusque fuerunt, et etiamnum in vita sunt superstites, ita vt ἡμαρτον recte vertatur: *peccare solent.* Cfr. Glassii philologia sacra l. 3. tract. 3. canone 47.

deunte hac ſententia: propterea quod omnes peccante Adamo, ipſi peccauerunt). Duplici potiſſimum de cauſa B. Koppius το ημαρτον hac ratione rectius explicari exiſtimat, quam de peccatis, quae ſinguli poſterorum Adami ipſi commiſerint, partim propter locum ſimilem ep. ad Hebrr. 7, 9. 10. partim propterea, quod ſeriores Iudaeorum doctores (vt ſupra vidimus) eodem peccato, quo primus homo peccauerit, totum mundum peccaſſe dixerint. Verum enimuero quanquam locus epiſt. ad Hebrr. illuſtrandae notioni Iudaicae hominis aliquid ita facientis, vt hoc ipſius factum ſimul ad omnes eius poſteros pertineat, egregie inſeruit, tamen, quum minime de nexu Adami eiusque poſterorum exponat, ſed rem prorſus aliam [16]) tractet, nullam vim habet demonſtrandi, Paulum noſtro quidem l. poſteris Adami vitio vertiſſe, quod, peccante illo, omnes ipſi peccauiſſent. Neque effata Iudaeorum ſeriorum a Koppio laudata comprobant, quae illi de peccato Adamitico poſteris imputando enuntiauerint, eadem h. l. Paulum docuiſſe (inprimis quum loca laudata e libris eiusmodi ſcriptorum ſint depromta, qui poſt Paulum floruerint, neque liceat inde compro-

16) Docet auctor ep. ad Hebrr. l. l. in perſona Abraami totam ſtirpem Leuiticam decimas perſoluiſſe Melchiſedecō, ſiquidem ea lumbis proaui (Abraami) contineretur. Cuius quidem conſuetudinis de poſteris hominis cuiusdam ita loquendi, vt eius lumbis contineri dicerentur, cauſa inde petenda eſt, quod Hebraei liberos, qui naſcebantur, e lumbis patris prodire dixerunt. cfr. Geneſ. 35, 11. 2 Chronn. 6, 9.

bare, ſententias locis laudd. expreſſas tempore Pauli Iudaeis omnino fuiſſe familiares), niſi interpretatio verborum Pauli grammatica et logica hanc ſententiam reddiderit probabilem. Similem viam B. Storrius [17]) ingreſſus eſt, quanquam ipſe in effato Paulino dogmatis de inputatione peccati Adamitici proprie ſic dicta veſtigia deprehendit nulla, immo Apoſtolum cauſam, quare poſteri Adami morti ſint obnoxii, ex indole quadam natiua eademque vitioſa omnium, e peccato Adamitico oriunda, repeti voluiſſe, atque hoc docuiſſe exiſtimat, moriendi neceſſitatem ab vno (Adamo) ad omnes eius poſteros tranſiiſſe, propterea quod omnes, indolis ſuae natiuae vitioſae ab Adamo oriundae ratione habita, tanquam peccatores fuerint tractati, atque poenae redditi ſint obnoxii. Concedere licet Viro acutiſſimo, ad loca Geneſ. 44, 32. LXX. et Iobi 9, 29. prouocanti, vſum loquendi non omnino repugnare interpreti, qui illud ἡμαρτον vertendum putauerit: tanquam peccatores ſunt tractati. Attamen, quod verba verſus 18. et 19. εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα et ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ veritati huius interpretationis comprobandae inſeruire monuit, id, ni omnia me fallunt, arbitrariam redolet vtriusque commatis (inprimis v. 19.) explicationem. Etenim, quo iure verbis v. 19. ἁμαρτωλοὶ κετεστάθησαν οἱ πολλοι hunc ſenſum ſubeſſe ſtatuit: multi tanquam peccatores tractati (ſ. tales declarati) ſunt, eodem poſſumus in propria verbi κατεσταθησαν

17) cfr. *Storr*, *über den Zweck des Todes Jeſu*, S. 640. eiusd. *Lehrbuch der chriſtl. Dogm.* loco ſupra n. 3. laudato.

significatione acquiescere, sic vertentes: multi peccatores facti sunt (siquidem δι' ἑνὸς ἀνθρώπου, vt v. 12. dicitur, ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε). Quemadmodum omnino persuasissimum mihi habeo, hanc interpretandi legem vniuerse tenendam esse, vt in ea verborum sententia, quam et propria eorum significatio, et ipsa orationis series sponte nobis attulerit, acquiescamus (nisi causae singulares nos aliam viam ingredi iusserint), ita etiam huius effati interpretationem simplicissimam eandemque verissimam ab iis defendi existimo, qui Paulum verbis: ἐφ ᾧ πάντες ἥμαρτον, docuisse concedant, *omnes Adami posteros propterea mori debuisse, quod omnes peccauerint* (s. *quod vitiositas ab Adamo ad posteros deuenerit.*) Quodsi hanc sententiam tenemus, et vsum vulgarem verbi ἁμαρτανειν sequimur, et ipsum Paulum veluti interpretem effati sui habemus, quippe qui v. 13. aperte professus est, posteros Adami peccata commisisse.

Vidimus hucusque, verbis v. 12. nulla inesse vestigia dogmatis de inputatione peccati Adamitici. Quum vero plerique eorum, qui de hoc dogmate e scriptis Pauli eruendo sedulo cogitauerunt, commati 13. et 14. atque nexui, qui vtrumque versui 12. iungat, vim tribuant praecipuam; agedum, quo iure ita fecerint, et vocibus formulisque v. 13. et 14. singulis, quae luce quadam indigeant, interpretandis, et serie sententiarum (cuius recte constituendae atque diiudicandae quam diuersa fuerit ratio, docent commentarii interpretum) accuratius indaganda videamus. V. 13. et 14. Ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ· ἁμαρτία

δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου. Ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως, καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ· ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος. Vtriusque commatis vocabula perluſtranti ſingula neceſſe eſt ante omnia quaeſtio ſeſe offerat: qualis illa aetas fuerit, quam Paulus h. l. commemorando illo temporis termino ἄχρι νόμου innueret? Quanquam vocabuli νόμος in libris N. T. frequenter obuii vſus eſt admodum varius et multiplex, noſtri tamen effati interpretationem egregie iuuat parallelismus ſententiarum v. 13. et 14. ita vt neminem dubitare patiatur, νομος h. l. *legem* ſignificare *Moſaicam*, totamque phraſin ἀχρι νομου ab illa ampliore (v. 14.) ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως ſenſu non differre. Huius enim paralleliſmi non ſatis accurate rationem habuiſſe videntur, qui illud ἀχρι νομου de eo tempore interpretati ſunt, quod inde a legislatione Moſaica vsque ad Chriſtum elapſum eſt: (*vsque ad finem legum Moſaicarum, durante legislatione Moſaica, vsque ad Chriſtum*).[18]) Miror, quod ipſe B. Koppius hanc rationem neque verbis v. 14. neque vſui loquendi ſatis apte conuenientem probauerit. Dum vero Paulus adfirmat, vsque ad legislationem Sinaiticam peccata ab hominibus eſſe commiſſa, minime negat, idem valere de ceteris Adami poſteris, qui inde ab aeuo fuerint Moſaico. Ita enim phraſes, termino temporis, ad quem vsque

18) Non eſt, quod moneam, prorſus a vero aberraſſe Peyrerium quum ſub νομω legem intelligeret Adamo in paradiſo datam (in libro: praeadamitae ſ. exercitatio in Romm. 5, 12—14. 1655. p. 21.)

aliquid factum fuerit, aut futurum sit, describendo inseruientes (αχρι, μέχρι, ἕως ἄν) in sacro potissimum sermone (et hebraico, et graecohebraico) vsurpari neminem fugit, vt haud raro tacite ponant, eandem rem, termino illo constituto apparente, nequaquam finem habuisse aut cessaturam esse. cfr. Actt. 2, 35. 3, 21. Genes. 28, 15. B. Morus in indice ad Xenoph. Hellenn. sub V. εως. Glassii Philol. s. l. 3. tract. 5. can 12. Docet Paulus, iam ante legislationem Mosaicam peccata ab hominibus esse commissa. Addit, lege absente, peccata non inputari. Verbi ελλογειν in N. T. obuii exemplum praeter hunc locum nonnisi vnum deprehenditur ep. ad Philem. v. 18. formulae: αμαρτια ελλογειται explicandae satis idoneum. Dicitur quippe l. l. de eo, qui alteri aliquid in rationes refert debiti. Eadem est ratio debitoris, quem alii iure meritoque declarant debitorem, quae hominis esse solet, quem propter factum, quod patrauit, legibus contrarium, et reprehensione et poena dignum pronuntiamus atque iudicamus (id quod ratio ipsa docet nonnisi in eiusmodi hominibus recte fieri, qui neque legem ab ipsis violatam absque sua culpa ignorauerint, neque in agendo mente sana atque libertate agendi physica caruerint). Sollennis est scriptoribus sacris imago *debiti* ad poenam translata [19]). Vnde patet, αμαρτιαν ελλογεισθαι (inputari) homini, qui propter αμαρτιαν commissam vituperandus ac puniendus censeatur. Quod Paulus v. 13. sermone simpli-

19) cfr. Matth. 6, 12. ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν etc. Vd. Vorstius de hebraismus N. T. p. 74. sqq.

ci ac breuiter enuntiauerat: ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν τῷ κόσμῳ, idem iam copiosius eloquitur v. 14. sermone vsus figurato, grauitati sententiae declarandae accommodatissimo: ἀλλ' ἐβασίλευσεν etc. Comparat communem moriendi necessitatem principi inperium suum atque potestatem longe lateque exercenti cfr. 6, 9. 12. 7, 4. 5. Sapient. 1, 14. Similiter infra v. 21. χαρις του θεου inperare, i. e. vim suam saluberrimam longe lateque dicitur exserere. Controuersiis criticis ansam praebuerunt, quae seqq. καὶ ἐπὶ τοὺς etc. plerisque lectionem sequentibus vulgarem τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας, testimoniis codicum plerorumque et grauissimorum (graecorum fere omnium), versionis Syriacae, Vulgatae, pluriumque latinarum, patrum denique multorum (Chrysostomi, Theodoreti, Theophili, Irenaei, Hieronymi, Ambrosii, Augustini aliorumque) confirmatam, nonnullis, Semmlero potissimum in paraphrasi lat. ep. ad Romm. ad h. l. Millio in prolegomenis §. 1318. atque *Bauero* in l. *biblische Theologie des N. T.* IV. B. S. 380. voculam μὴ auctoritate codd. multorum latinorum (in quibus nonnulli sunt antiquitate magna conspicui), Origenis, Cyrilli, Alexandrini, Rufini, Tertulliani, Victorini, Sedulii, Ambrosiastri omittentibus. Quodsi quis veritatem lectionis h. l. ab externis rationibus ponderandis totam pendere existimauerit, dubius vtique et suspensus haereat necesse est, quum vtraque lectio auctoritate haud contemnenda gaudeat. Sin indolem vtriusque internam accuratius inuestigauerit, facile eum, opinor, nobis habebimus adsentientem, eam lectionem, quae negationem omittit, faciliorem, ex

emendatione arbitraria profectam, existimantibus. Etenim, quum Paulus v. 12. 13. docuisset, ab Adamo ad omnes eius posteros vitiositatem transiisse; exspectari omnino potuit, fore, vt Apostolus v. 14. postquam iterum communis moriendi necessitatis, quae ab Adamo ad Mosen vsque imperium suum exercuerit, mentionem iniecisset, hoc potius adderet, homines, qui peccando *similes* Adamo apparuerint, huic mortis imperio fuisse obnoxios, quam, mortuos esse, qui *non ita*, vt *Adamus*, peccauerint. Accedit, quod ne hoc quidem primo obtuitu elucescit, quo tandem iure negare potuerit, homines, qui ab Adamo inde ad Mosen vsque vitam degerint, peccauisse ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ? Ceterum probe sensisse videntur B. Koppius atque Toellnerus, ipsam voculam καὶ post Μωσέως haud obscure arguere, verbis sequentibus aliquid proferri, quod multis certe lectoribus parum videri possit exspectatum, ideoque vel hac de causa lectionem μὴ ἁμαρτήσαντας esse praeferendam. Quod vero ipsam totius ῥησεως: και επι τους etc. sententiam attinet, ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβ. Ἀδαμ haud dubie phrasis est pleonastica idem significans quod ὁμοίως τῷ Ἀδαμ, ὥσπερ Ἀδαμ (cfr. de voc. ομοιωμα hanc ipsam epist. 1, 23. 8, 3. ad Philipp. 2, 7.) Quicunque enim, probata ea lectione, quae voculam μη omittit, τους αμαρτησαντας επι τω ομ. της παραβ. Αδ. homines dici existimant, qui in societatem peccati Adamitici venerint (ponentes quippe, verba v. 12. de quibus supra vidimus: ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον, recte verti: in quo omnes peccauerunt) summam vim graecis inferunt. Quemadmodum vero causis supra allatis

ducti negauimus, Paulum verbis v. 12. ἐφ ᾧ πάντες ἥμαρτον docere voluiſſe, omnes Adami poſteros, peccante Adamo ipſos peccauiſſe; ita diſſimilitudinem, quam Paulus v. 14. innuat, delicti Adamitici atque eorum peccatorum, quae eius poſteri commiſerint, minime cum nonnullis interpretibus in eo quaerendam cenſeimus, quod Adamus quidem per ſe, libere, et aperte legem diuinam violauerit, poſteri vero nonniſi tacite in ipſa Adami proaui perſona peccauerint. Repugnant his (vt in hoc vno argumento acquieſcam) verba v. 13. priora: ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ, quae profecto, niſi quis iuſto contortius et artificioſius explicare voluerit, aperte notant homines, qui ipſi ſua vi ac voluntate peccata commiſerunt. Maluerunt plerique interpretes illam eorum, quae et Adamus deliquerit et poſteri fecerint, diſſimilitudinem eo referre, quod Adamus quidem legem poſitiuam hominibus primis diuinitus propoſitam transgreſſus fuerit, poſteri vero, lege Moſaica nondum declarata, contra legem naturalem peccauerint. Verum enimuero quo tandem iure id a Paulo adfirmari potuit? Nonne hiſtoria docet gentis Hebraeorum e volumine Geneſeos cognita, Iehouam cum Hebraeis eo tempore viuentibus, quod ab Adamo ad Moſen vsque elapſum eſt, ſaepius foedera iniiſſe ſollennia (v. c. c. 15. c. 17.) quae homines omnino certis conditionibus ſeruandis ſancte obſtringerent? An omnino defuerunt mandata diuina ſatis perſpicue exhibita, quae ad facta pertinerent ſingula? Nonne Deum Geneſ. c. 9. audimus homicidium ſeuere interdicentem, omnibusque homicidis poenam annuntiantem grauiſſimam,

itemque c. 17. de circumcisione praecipientem? In promptu est, negari ab Apostolo non potuisse, posteros Adami ita, vt proauum, peccasse, nisi, *quatenus non eadem lex illis, quae Adamo, fuisset proposita.* Quodsi Paulum haec docuisse statuimus, videmur omnino nouis inplicari difficultatibus, quum partim, si modo certum sit (id quod ex antiquissimis gentis hebraicae documentis sacris eluceſcere vidimus) posteros Adami ante Mosen viuentes non omnino caruisse legibus positiuis diuinitus exhibitis, non pateat, quanam de causa peccatores, qui fuerint eo tempore, quod ab Adamo inde vsque ad Mosen elapsum est, dici nequeant Adamo peccando *similes* fuisse (immo, si quis haec voluerit subtilitate philosophica examinare, ipsius legis naturalis, quam homo tanquam legem agnoscat animo diuinitus insculptam, violatio sufficere videatur, vt quis iure meritoque dicatur peccauisse επι τω ομοιωματι της [20]) παραβ. Αδαμ); partim Apostolus, iis tantum commemorandis, qui fuerint ab Adamo μεχρι Μωσεως, haud obscure concesserit, ceteros, quibus lex Mosaica innotuisset, omnino peccauisse επι τω ομ. της παραβ. Αδαμ, etsi non amplius potuerint *eandem* transgredi *legem po-*

20) Quid? quod Paulus ipse docet c. 2. huius epist. v. 12—16. homines quoque paganos, qui vitam sceleſtam egerint, olim die iudicii (ratione quidem eius cognitionis recti et praui habita, quae iis contingere potuerit) condemnationem esse subituros, quum, etsi lege scripta (qualis fuisset Iudaeis proposita) carnerint, tamen, singulis paganis natura duce facta edentibus legi congrua, aperte pateat, illorum quoque mentibus officia legis esse inscripta?

ſitiuam, quam Adamus violaſſet. Patet omnino Paulum h. l. duplicem tantum legem poſitiuam diſtingui voluiſſe, ita comparatam, vt omnibus, qui legem ſibi cognitam violaſſent, haec violatio iure meritoque poſſet inputari, alteram, quae hominibus primis fuiſſet propoſita, alteram, quae per Moſen innotuiſſet, neque vero rationem habuiſſe eorum, quae poſteris Adami ante Moſen viuentibus ſubinde de voluntate numinis diuini fuiſſent patefacta. Qua de re, ni omnia me fallunt, ita argumentatus eſt: Hominibus primis numen diuinum eiusmodi legem ſcripſerat, quae ſufficere poſſet ad facta eorum regenda. Quanquam enim argumentum huius mandati diuini minime totam hominum vitam complexum eſt, neque niſi ad vnum factum pertinuit (ſiquidem hominibus primis id vnum interdixit, ne fructus decerperent ab arbore cognitionis boni et mali), alio tamen praecepto nullo indigebant. Verſabantur quippe (teſtantibus effatis Geneſeos cap. 2. et 3. quae Paulus haud dubie ante oculos habuit) in ſtatu innocentiae, peccatum omnino ignorantes, neque ex illo ſtatu in aliam conditionem transiiſſent, niſi fructibus vſi eſſent interdictis, quibus (vt verbis vtar Geneſ. 3, 7.) oculi eorum aperirentur, i. e. homines intelligentiam quidem maiorem conſequerentur, ſed ad peccata varii generis proni redderentur ac procliues. Quamdiu illo gaudebant ſtatu innocentiae, hoc vnum praeceptum de euitandis fructibus arboris cognitionis boni atque mali ſufficere potuit, quum, ſi modo huic obſequerentur, omnino inſontes manerent atque innocentes, neque vim peccati cognoſcerent. Poſtquam ve-

ro homines, hoc vno mandato violato, peccandi fecerant initium, atque vitiositati pristina cesserat innocentia, neque lex naturalis vim habuit satis idoneam ad vitiositatem coërcendam, neque vel foedera illa, quae Deus subinde cum patriarchis Hebraeorum ita iniit, vt vniuerse eos obstringeret ipsi pie colendo, vel mandata singula interdum diuinitus proposita sufficere potuerunt. Indigebant iam institutione noua, copiosa, praeceptis multis constante atque interdictis, qua Deus de singulis, quae fieri vel deberent vel non deberent, homines edoceret, atque officia praescripta grauiter iis iniungeret, additis poenarum comminationibus. Eiusmodi institutio per Mosen iis contigit. Quicunque igitur hac legislatione Mosaica caruerunt (posteri Adami ad Mosen vsque viuentes), ita deliquerunt, vt peccata ipsis, idonea legis diuinae cognitione destitutis, non possent inputari. Videmus Paulum haud temere *nonnisi duplicem νομον* distinguentem (*eine doppelte, zur Befolgung des göttlichen Willens, also auch zur Imputation, völlig zureichende Gesetzgebung, oder Erklärung des göttlichen Willens*). Quemadmodum enim illud interdictum hominibus primis in statu innocentiae versantibus propositum ita fuit comparatum, vt iisdem ab omni peccato et vitiositatis labe defendendis par esset atque idoneum (si modo homines dicto constanter obediissent) ideoque αμαρτια ab illis, fructus interdictos decerpentibus, commissa iure meritoque iis posset inputari; ita lex Mosaica homines vitiositate iam corruptos atque inquinatos tam accurate

tantaque vbertate de officiis ſingulis edocuit, vt ad facta eorum regenda ſufficeret, atque iis omnibus, qui peccare pergerent, αμαρτια recte inputaretur. Quonam igitur ſenſu dicuntur poſteri Adami ante Moſen viuentes *non* peccauiſſe ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ? Quatenus, *dum peccarunt, eiusmodi tamen legislatione diuina abſoluta et ſufficiente caruerunt, qualis et primis hominibus fuerat propoſita, et iis, qui poſtea vixerunt, intercedente Moſe data eſt.* Iam vero in promtu eſt, ad eosdem homines μὴ ἁμαρτησαντας etc. illa ſpectare verba ſuperiora v. 13. ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου. *Negat Paulus, in iis Adami poſteris, qui ante Moſen vixiſſent, locum habuiſſe inputationem peccatorum, quae commiſiſſent, quum abſoluta illa, quae poſtea per Moſen Israelitis contigerit, legislatione diuina caruiſſent, neque aliam habuiſſent, quae ipſis pariter ſufficere poſſet, atque Adamo vnum illud interdictum diuinum omnino ſuffeciſſet,* ſiue (vt aliis verbis eandem ſententiam enuntiemus): *quum non omnino ita, vt Adamus, peccauiſſent (Adamo non omnino pares apparuiſſent peccando.)* Vſum quippe vocabuli ομοιωμα minime premendum exiſtimo, tanquam ſi Paulus ne hoc quidem voluerit concedere, *poſteros Adami proauo fuiſſe peccando ſimiles.* Negat potius, hos illi *omnino pares* apparuiſſe (de quo quidem vſu Subſtantiui ομοιωμα cfr. ep. ad Philipp. 2, 7. vbi Ieſus, poſtquam conditionem ſubierat humiliorem, ita ἐν ὁμοιώματι dicitur ἀνθρώπων γενόμενος, vt e ſequentibus: σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος pateat, Ieſum omnino dici hominem eſſe factum,

atque formam humanam *prorſus* [21]) induiſſe.) Vnum eſt, in quo haereamus, quod Paulus *vniuerſe* negauerit, illis Adami poſteris ante Moſen viuentibus, quae deliquiſſent, eſſe inputata, quum eiusmodi legislationis, qualem Paulus in mente habuit, abſentia minime omnem inputationis neceſſitatem tollere, ſed nonniſi hoc efficere potuerit, vt, qui illo tempore peccauiſſent, culpam minorem ſuſtinerent, quam, qui poſthac peccata commiſiſſent, cognitione perfectiori vol ntatis diuinae inſtructi. Concedamus neceſſe eſt, Apoſtolum, cuius animum totum inpleuiſſet cogitatio mali ex Adami peccato oriundi, atque beneficii praeſtantiſſimi, per Chriſtum hominibus parati, quo luculentius ſummam illius mali vim et grauitatem declararet (in eo conſpicuam, quod adeo ii poſterorum Adami communi moriendi neceſſitati ſuccumbere debuerint, in quorum factis diiudicandis nulla peccatorum inputatio locum habere potuerit) verbis vſum eſſe, quae nequeant ad amuſſim exigi, atque ſumma examinari ſubtilitate philoſophica. Quae denique v. 14. ex. addit: ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος, inſeruiunt Apoſtolo ab iis, quae parentheſeos loco v. 13. 14. interpoſuerat, ad rem primariam redituro (ad comparationem Adami atque Chriſti, inde a v. 15. vberius pertractandam). τύπος, quod proprie veſtigium ſ. notam rei cuiusdam innuit (Io. eu. 20, 25.) conſtat ad exemplum ſ. normam, ſecundum quam aliquid efformari atque con-

---

21) cfr. *S. V. Keilii* commentatio eruditiſſima: commentatio 1. in locum epiſt. ad Philipp. 2, 5—11. Lipſiae, 1803. p. 12.

ſtrui debeat, transferri (ep. ad Hebrr. 8, 5. LXX. ad 1 Chronicc. 28, 11.) itemque de quauis dici imagine, effigie, ſimilitudine rei aut hominis (cfr. Actt. 7, 43. Ioſephi Antiquitt. Iudd. 1, 19, 11. Herodian. V, 5, 12.) Ipſa vero ſententia Apoſtoli, Adamum imaginem fuiſſe docentis Adami futuri (Ieſu Chriſti) cum ex ipſa eluceſcit comparatione Adami et Ieſu Chriſti v. 15 ſqq. inſtituta, tum e formulis Theologiae Iudaicae. Quum vterque auctor exſtiterit mutationis grauiſſimae, quam conditio totius generis humani ſubiit, Adamus quidem vitioſitatis atque communis moriendi neceſſitatis inde oriundae, Chriſtus veniae peccatorum et exſpectationis certiſſimae atque laetiſſimae vitae beatae eiusdemque aeternae per ipſum conſequendae, ille huius τυπος exſtitiſſe dicitur. Solebant vero Iudaei ſeriores pluribus de cauſis Adamum Meſſiae comparare, ita vt illum quidem appellarent priorem ſ. antecedentem, Meſſiam vero poſteriorem, futurum, vltimum Adamum. cfr. Wettſten. ad h. l. Alio ſenſu idem Paulus vtrumque alteri oppoſuit 1 Corinthh. 15, 45. Quae quum ita ſint, atque praeterea ipſe verborum ordo ſuadeat, vt pronomen ὅς ad nomen proprium antecedens Ἀδαμ referatur, non video, quid nos iubeat cum nonnullis interpretibus[22]) illa: ὅς εστι τύπος pro ὃ εστι τύπος accipere (etſi hoc per vſum loquendi graecum fieri poſſit, cfr. ep. ad Gall. 3, 16.) totamque ῥησιν ita vertere:

22) vd. *B. Koppe* ad h. l. *Joſt: über Röm. V*, 12—21. *in Schmidt Bibliothek für Kritik und Exegeſe des N. T. zweyten Bandes zweytes Stück*, *S.* 267.

quae quidem mors et vitiositas ab Adamo oriunda virtutis atque salutis per Christum effectae imago exstitit.

Sequitur, vt singulis illustratis de nexu paucis videamus, quo membra v. 13. et 14. singula et inter se cohaereant, et versui 12. Desiderat lector, singula hucusque illustrata persequutus, nisi effatum Paulinum iterum iterumque perlustrauerit, ac probe memor fuerit consilii, quod Paulus spectauerit, primarii iustam totius argumentationis perspicuitatem, neque mirum potest videri, quod sententiae interpretum de nexu horum membrorum recte constituendo haud parum discrepare soleant. Quaeritur autem ante omnia, quonam consilio Paulus, quum v. 12. ostendisset, ab Adamo et vitiositatem et moriendi necessitatem ad homines *omnes* transiisse, v. 13. in. separatim docuerit, ad aetatem vsque legislationis Sinaiticae peccata ab hominibus esse commissa (tanquam si hac de re possit dubitari, neque in illo πάντας v. 12. notio eorum quoque Adami posterorum lateat, qui ante Mosen vixerint)? Probe intellectum est plerisque huius loci interpretibus, Apostolum veritatem sententiae v. 12. enuntiatae πάντες ἥμαρτον contra eos voluisse defendere, qui forte negauerint, hoc de iis Adami posteris, qui ante Mosen vixerint, pariter valere, atque de ceteris, eo prouocantes, quod illis ante Mosen viuentibus lex defuerit, neque sine lege locum habere possit peccatum proprie sic dictum atque peccati inputatio (id quod Paulus ipse supra 4, 15. docuerat.) His ita respondet, vt partim adfirmet, omnino pecca-

uisse homines ab Adamo ad Mosen vsque viuentes (siquidem omnes, qui voluntati diuinae agendo repugnauerint, peccasse recte dicantur) partim concedat, haec peccata non potuisse iis, qui commiserint, inputari, destitutis quippe eiusmodi legislatione positiua, quae sufficeret (ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται etc.) Quanquam vero hoc concedit, iterum tamen repetit, quod v. 12. de communi moriendi necessitate monuerat, docetque, eos quoque Adami posteros, qui ante Mosen fuerint, mori debuisse, etsi non omnino ita, vt proauus, peccauerint. Quid tandem inde sequitur? Nonne Paulus, dum ita disputat, lectores suos ipse iubet hanc mouere quaestionem: cur tandem mori debuerunt, qui Adamo non omnino peccando fuerunt similes, sed lege positiua caruerunt, ita vt peccata ipsis non possent pariter, ac proauo, inputari? Neque vero ea, quae inde a v. 15. sequuntur, aliquid suppeditant, quod huic quaestioni soluendae inseruiat. Respondent igitur, qui huius effati Paulini vsum faciunt ad doctrinam de inputatione peccati Adamitici posteris facta argumentis exegeticis defendendam, hanc fuisse mentem Apostoli, vt doceret, posteros Adami minime propter sua peccata diem obiisse, quippe quae inputari iis (testante ipso Paulo) non potuerint, sed propterea, quod in Adamo siue vna cum Adamo deliquerint, atque Deus, quod Adamus deliquisset, posteris omnibus vitio verterit[23]). Quem quidem vsum totius ef-

23) Prouocant insuper ad loca seriorum scriptorum Iudaicorum, qui docent, Deum propter peccatum Adamiticum ce-

fati dogmaticum vt recte diiudicemus, teneamus ante omnia neceſſe eſt, Paulum v. 13. 14. minime de omnibus diſputaſſe Adami poſteris, ſed de iis, qui *ab Adamo ad Moſen vsque* vixerint, ideoque e verbis quidem vtriusque commatis non poſſe eiusmodi dogmata ac placita erui, quae de tota Adami poſteritate valeant. Deinde, quod plerique horum interpretum ponunt, verba v. 13. ἐφ ᾧ πάντες ἥμαρτον vertenda eſſe: in quo omnes peccauerunt, quam parum recte ponatur, ſupra vidimus. Denique, quo minus concedamus, e ſententia Pauli Adami peccatum iis Adami poſteris, qui ante Moſen vixerint, inputatum eſſe, ipſius Apoſtoli verba prohibent, quum partim v. 12. ex. aperte profeſſus fuerit, neceſſitatem moriendi ab Adamo ad omnes eius poſteros transiiſſe, *ſiquidem omnes ipſi peccauerint*, partim v. 13. monuerit, poſteris Adami ante Moſen viuentibus ſua ipſorum peccata non eſſe inputata, deſtitutis quippe legislatione poſitiua (neque vero pateat, quomodo, ſi quis negauerit, locum habere inpu-

---

teros homines omnes, *qui in Adamo peccauerint*, ne ſanctiſſimis quidem exceptis, eidem poenae, qua Adamum adfeciſſet, reddidiſſe obnoxios. (cfr. Wettſtenius ad v. 14. Süſskind in comment. nota 3. laudata p. 70. ſqq. Joſt in comment. nota 22. laud. p. 262. ſſ.) Vt concedamus, perſuaſionem illam ſcriptoribus Iudaicis *tempore Chriſti et Apoſtolorum viuentibus* fuiſſe cognitam, caueamus tamen, ne huic argumento nimium tribuamus, quum loca exſtent aliorum ſcriptorum Iudaicorum, qui aperte *negauerint*, vel mortem e peccato Adami eſſe oriundam, vel omnes huic poenae obnoxios eſſe redditos (cfr. Süſskind l. l.)

tationem peccati proprii, abſente quidem lege poſitiua, atque ex ipſa legis abſentia cauſam, quare peccatum proprium inputari nequeat, petierit, de inputatione facti *alieni* vnquam potuerit cogitare). Varios tramites ingreſſi ſunt, qui recte negauerunt, vel e ſingulis loci illuſtrati vocibus ac formulis, vel ex vniuerſa orationis ſerie perſuaſionem Apoſtoli de inputatione peccati Adamitici poſteris facta eluceſcere. Ita plures (vt B. Wettſtenius, Semmlerus, Morus et V. Roſenmüllerus ad h. l.) quaeſtioni illi, quam verbis Pauli in animis lectorum ſponte excitari vidimus: cur tandem mortui ſunt, qui, etſi peccarunt, lege tamen caruerunt poſitiua? Paulum ſic reſponderi voluiſſe exiſtimant: propterea quod, quum pro lege poſitiua habuerint naturalem, quam peccando violarent, peccata illis quoque iure meritoque inputata ſunt. Quanquam hi interpretes eruditiſſimi egregie viderunt, notionem legis naturalis, animis hominum omnium a Deo inſitae, ab indole Anthropologiae Paulinae nequaquam alienam eſſe (cfr. ad Romm. 2, 14. 15.); eandem tamen ab omni huius effati ſerie paulo remotiorem eſſe dixerim, ita vt Paulus eam minime lectoribus ſuis *tacite* ſubintelligendam relinquere potuerit. Accedit, quod propter locum c. 4. v. 14. 15. (haud dubie de lege Moſaica interpretandum, niſi quis omnem orationis ſeriem negligere voluerit) probabilius apparet, Paulum omnino negauiſſe, eiusmodi peccata, in quibus diiudicandis inputatio locum haberet, quae peccatores propter ſua facta poenae mortis redderet obnoxios, inter poſteros Adami ante legislationem Sinaiticam committi potuiſſe. Aliam ra-

tionem duplicem B. Koppius ad h. l. commendauit. Docet quippe, probata vulgari illa formulae αχρι νομου interpretatione, qua vertatur: vsque ad tempus legislationis Mosaicae, verba v. 13. 14. commati 12. hoc modo esse nectenda: „vt homo pro peccatis puniatur, non efficitur „hoc tantum legibus Mosaicis, quum etiam, an„te quam leges Mosaicae latae essent, homi„nes mortuos esse, h. e peccatorum poenas luis„se, historia sacra testetur. Quodsi igitur ne „poenas quidem diuinas vnice a legibus Mosai„cis pendere vllo modo statui potest, quanto ma„gis ridiculum est, ipsius salutis et felicitatis hu„manae originem et causam ab his iisdem legi„bus exspectare?“ Verum, quo minus Paulum h. l. ita argumentatum esse largiar, et alia huius Apostoli effata impediunt, quibus aperte docet, legem Mosaicam omnino eam vim habuisse, vt homines peccantes condemnarentur, atque poenae diuinae grauissimae redderentur obnoxii (v. c. 2 Corinthh. 3, 7. 8. ad Gall. 3, 13. ad Coloss. 2, 14. ad Romm. 4, 15.) et ipsa vetat huius orationis series, quum e sequentibns eluceseat, Apostolum h. l. minime de iis disputasse, quae per legem Mosaicam effici potuerint aut non potuerint, sed hoc egisse, vt ambitum atque praestantiam meriti Christi commemorandis beneficiis, quae factum Christi generi humano praestitisset, atque efficacia peccati Adamitici hominibus omnibus noxia et pernitiosa illis opponenda, luculentissime declararet. Neque video, quomodo Paulus existimari potuerit h. l. docuisse, posteros Adami, qui ante Mosen vinerent, moriendo poenas luisse peccatorum? Potestne hoc verbis

Apoſtoli v. 13. obuiis: αμαρτια δε ουκ ελλογειται etc. apte conciliari? Quod vero alteram attinet nexus horum membrorum explicandi rationem a Koppio propoſitam, quae verbis Pauli hanc fere argumentationem vindicat: „quamdiu lex „valuit Moſaica, peccata inter homines commiſ„ſa ſunt; abſente lege, peccata neque inputan„tur, neque puniuntur; attamen mortui ſunt ab „Adamo inde vsque ad Chriſtum, durante le„gislatione Moſaica, ii quoque poſterorum Ada„mi, qui minime ita, vt proauus, peccauerant; „id quod haud obſcure rem futuram arguit, i. „e. per ſolum Chriſtum, neque per leges Mo„ſaicas, nunc abrogatas, homines immortalita„tis beneficio eſſe ornandos;“ obſtat (vt alia argumenta taceam), quod, ſi quis cum Koppio illud αχρι νομου v. 13. et verba μεχρι Μωσεως v. 14. de eo tempore interpretari voluerit, quod ad finem vsque legislationis Moſaicae elapſum eſt (vt ſupra vidimus), vim cogatur verbis inferre graecis. In alia video *Ioſtium* abiiſſe (cuius commentationem ſupra nota 22. laudauimus) et V. *Süsskindium* (vd. ſupra nota 3.). Ille enim (l. l. p. 264. ſqq.) coniecit, Apoſtolum v. 13. 14. lectores ſuos de cauſa edocere voluiſſe, quare homines Chriſtiani, etſi per Chriſtum Deo fuerint reconciliati, atque probati redditi, ſuccumbere tamen debeant communi moriendi neceſſitati (ne quis propterea veritatem illius doctrinae de hominibus per Chriſtum Deo reconciliatis in dubium vocandam exiſtimet), illamque cauſam inde petiiſſe, quod, etſi hucusque omnes diem obierint, minime tamen omnes dici poſſint propter ſua peccata eſſe mortui, immo excipi debe-

ant Adami posteri, qui ante Mosen vixerint (lege positiua nondum lata, neque locum habente peccatorum inputatione), vnde pateat, reconciliationem illam Dei atque hominum, et peccatorum veniam, hominibus per Christum paratam, non magis secum ferre, vt homines hanc peccatorum veniam adepti omnino mortem subire desinant, quam peccata hominum olim commissa singulos omnes huic moriendi necessitati obnoxios reddiderint. (*Er zeigt*, vt ipsa auctoris verba commemorem p. 264. 65. obuia, *dass der Tod eigentlich nicht als eine Strafe, wenigstens nicht bey allen angesehen werden könne, und deswegen auch nicht aufhören müsse, wenn wir schon versöhnet sind*). Quae quidem Iostii interpretatio magis ingeniosa est, quam consilio huius sermonis primario atque nexui sententiarum accommodata. Quodsi enim Paulus verba v. 13. 14. eo consilio addidisset, quod interpres ille doctissimus effato Apostolico tribuit, non potuisset verba priora v. 13. ope voculae γαρ adnectere prioribus. Neque video, quomodo Paulus hoc potissimum loco illius, de qua Iostius cogitat, dubitationis soluendae atque refutandae rationem habere potuerit, quippe quod, si ita fieri debere existimasset[24]), multo aptius infra fecisset, praestantia beneficii per Iesum Christum generi humano parati declarata et exposita. Interrumpit omnino haec interpretatio iustam, quam

24) Concedimus sane, quaestionem illam a quibusdam effati Paulini lectoribus Theologiae Iudaicae adsuetis moueri potuisse. Cfr. locus a Iostio laud. Gemarae ad caput 1. Abodae Sarae (p. 29. edit. Elzevir.)

verba Pauli offerunt, ſententiarum ſeriem, atque (vt veriſſime monuit V. Flattius in libro B. Storrii *Lehrbuch der chriſtlichen Dogmatik überſetzt mit Erläuterungen und Zuſätzen von Flatt*, S. 434. sq.) prorſus negligit, quod Apoſtolus v. 12. ſatis aperte monuerat, communem hominum moriendi neceſſitatem peccato Adami eo cohaerere, *quod per Adamum vitioſitas communis inter homines exſtiterit.* Denique quaeſtioni illi a lectoribus Pauli (vt Ioſtius exiſtimat) excitatae: an homines recte dicantur Deo per Chriſtum reconciliati, quum etiamnum moriendi neceſſitati appareant obnoxii? multo potius ſatisfeciſſet Apoſtolus, lectoribus ſuis ad exſpectationem certiſſimam vitae beatae poſt mortem futurae, ζωῆς αἰωνίου, per Chriſtum hominibus paratam ablegandis et attollendis (cfr. c. 8. v. 10. 11.) quam commemorandis iis, quorum exempla docuerint, non omnes propterea diem obiiſſe, vt eorum peccata punirentur. (Profecto enim eiusmodi argumentatione adhibenda dubitationi nouae anſam praebuiſſet: nonne, ſi communem moriendi neceſſitatem negas poenam eſſe, qua homines omnes propter ſua peccata adficiantur, Deum omnipotentem, hominibus per Chriſtum conciliatum, multo potius tollere oportuit eiusmodi incommodum, quod inter poenas peccatorum omnino non referendum eſt? ſin concedis, multos certe homines propter peccata ſua morti eſſe obnoxios, cur tandem noluit Deus, hominibus peccatorum veniam largitus, illam mortis poenam tollere?) Ab omnibus autem, quos conferre licuit, interpretibus prorſus discedit V. Süſskind, qui

in commentatione nota 3. laudata p. 84. poſt νόμου v. 13. ſignum interrogationis poni iubet, illamque interrogationem verbis v. 14. ſequentibus ita necti, vt ſententia prodeat illi, quam ceteri interpretes e verbis: αμαρτια δε ουκ ελλογειται etc. eruere ſoleant, prorſus contraria. Videtur Paulus huic interpreti accutiſſimo ita argumentatus eſſe: „ad omnes omnino homines ab vno „Adamo vitioſitatem atque communem morien„di neceſſitatem transiiſſe dicimus, ne iis qui„dem exceptis, quos propterea ſuſpicari liceat „huic mortis inperio non fuiſſe obnoxios, quod „lege caruerint poſitiua. Profecto inter eos quo„que Adami poſteros, qui ante Moſen vixerunt, „peccata ſunt commiſſa. An forte peccata inputa„ri nequeunt, abſente lege poſitiua? Immo (quo „ſenſu ἀλλὰ Actorum 19, 2. in reſpondendo adhi„beri recte monuit) ab Adamo ad Moſen vsque „inperium ſuum mors in eos homines exercuit, „qui non omnino ita, vt Adamus, peccauerant „(qui nullam legem poſitiuam peccando violaue„rant). His quoque peccata inputata ſunt.“ Etſi haecratio facilitate quadam ſeſe commendare videatur, ſuadet tamen locus Pauli ſimilis ſupra laudatus (4, 15.), vt in vulgari illius ρησεως: αμαρτια δε ουκ ελλογειται etc. interpunctione et interpretatione acquieſcamus. Accedit, quod cauſa nulla pateat idonea, quare Apoſtolus v. 13. 14. quaeſtionem illam: an forte peccata inputari nequeant, abſente lege poſitiua? excitauerit, atque contrarium profeſſus fuerit? Voluit quippe Paulus (vt V. Süſskind l. l. exiſtimat) dubitationibus eorum occurrere, qui ſorte exiſtimauerint, ea, quae Paulus v. 12. de vitioſitate ac moriendi neceſſi-

tate ab vno Adamo ad homines omnes translata monuisset, de iis Adami posteris non valere, qui ante Mosen fuerint, siquidem his non potuerint peccata inputari. Iam vero iis, quae Paulus v. 14. quaestioni excitatae respondit, nihil inesse video, quo soluatur atque remoueatur illa, quam innuimus, dubitatio. Neque enim alia argumenta profert historica, quibus doceat, eiusmodi quoque hominibus, qui lege careant positiua, quae deliquerint, inputari, neque argumentis docet philosophicis, quanam de causa et quonam iure fieri ita possit atque debeat, immo repetit, quod in illo πάντας v. 12. profecto iam latebat, neque iis lectoribus, qui forte eiusmodi dubitationem excitare potuerint, fuit incognitum, eos quoque Adami posteros, qui ante Mosen vixerint, diem obiisse. Quid inde sequitur? Frustra omnino dixisset Paulus, quae v. 13. 14 legimus, neque causa idonea ductus et nexum sententiarum interrumpi et anacoluthon grammaticum (v. 12. ex.) sibi excidere passus fuisset. Quantum equidem video, neque causa, quare Paulus verba v. 13. 14. interposuerit, recte eluceſcit, neque nexum, quo membra vtriusque commatis partim inter se cohaereant, partim antecedentibus pariter ac sequentibus commode iungantur, apte licet constituere, nisi concedamus, voluisse Paulum verbis v. 13. αμαρτια δε ουκ ελλογειται etc. hoc innuere, *causam, quare illi Adami posteri, qui ante Mosen viuerent, mortui fuerint, etsi omnino peccauerint, minime tamen his ipsorum peccatis solis contineri.* Neque vero his disputandis concedo, verba Apostoli sic intellecta tan-

dem ad notionem redire inputationis peccati Adamitici posteris factae (quod quanam de causa admitti recte nequeat, supra docuimus); neque Paulum de solo nexu physico Adami eiusque posterorum cogitasse existimo, nulla peccatorum, quae ipsi illi posteri commiserint, ratione habita, (audimus quippe Paulum v. 12. ex aperte profitentem, mortem ad omnes transiisse, *siquidem omnes peccauerint.*) Quid igitur restat? Nihil, nisi vt largiamur, Apostolum causam principem, cur ii quoque posterorum Adami diem obierint, qui ante Mosen fuerint, e nexu quodam deriuasse vitiositatis et moriendi necessitatis perpetuo, qui quum semel per Adamum Deo volente exstitisset, tantam vim in posteros omnes exseruerit, vt ea quoque peccata, quae hominibus, absente legislatione positiua, non fuerint inputata, illam moriendi necessitatem haberent comitem. Totius effati Paulini sententia haec est: *proinde, quemadmodum per vnum hominem* (Adamum) *vitiositas inter homines exstitit, atque per vitiositatem moriendi necessitas, quae inde ad homines omnes transiit, propterea quod omnes peccarunt (ita per obsequium, quod vnus, Christus, praestitit, multi declarabuntur insontes). Omnes peccasse dico; profecto enim vsque ad legem Mosaicam* (eo quoque tempore, quod ab Adamo inde vsque ad legislationem Mosaicam elapsum est) *peccata inter homines commissa sunt. Et quanquam peccata inputari nequeunt, quamdiu lex nulla adest; illa tamen moriendi necessitas etiam ab Adamo ad Mosen vsque imperium suum exercuit, in eiusmodi homines, qui nequaquam eo modo peccaue-*

rant; quo Adamus legem violauerat, i. e. qui, quanquam peccauerant, eiusmodi tamen legislatione positiua caruerunt, qualem Adamus habuit. Quid inde sequitur? Illos Adami posteros propterea mori debuisse, quod per Adamum nexus perpetuus exstitisset, qui vitiositatem inter atque moriendi necessitatem intercederet. *Durch den Adam war einmal ein solcher Zusammenhang zwischen Sündigen und Sterben entstanden, dass auch diejenigen Nachkommen des Adam, welche vor der Mosaischen Gesetzgebung lebten, da sie dem göttlichen Willen entgegenhandelten (sündigten), auch sterben mussten, ob ihnen gleich diese Sünden, wegen des Mangels einer hinreichenden positiven Gesetzgebung, nicht eigentlich zugerechnet worden sind.* Quo grauiorem vero noxam Adamus generi humano intulit, quippe qui fecit, vt omnes morti redderentur obnoxii (ne iis quidem exceptis, in quibus diiudicandis nulla locum haberet peccatorum, quae comisissent, inputatio) eo praestantius atque illustrius beneficium Christi appareat necesse est, quo omnibus absque ipsorum merito venia peccatorum atque spes vitae aeternae ac beatae certissima contigerit.

Quam quidem Apostoli sententiam vt ex ipsius verbis recte erueremus, omnino in illustrandis iis, quae v. 12. 13. 14. leguntur, eorumque nexu inuestigando acquiescere potuimus, quum iis, quae inde a v. 15. ad finem vsque capitis sequuntur, nihil omnino contineatur, quod persuasioni nostrae possit repugnare, eamue difficultatibus exegeticis reddat obnoxiam.

Inhouse = 3 D

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-146554035-10/fragment/page=373

Opuscula

exegetica, critica, dogmatica



ditamentis

Schott,

Academiae Ienensis.

s.

Ienae,
sumtibus Croekerianis.
MDCCCXVII.